

SAMVELIS PETITI

DIATRIBA

De jure, Principum Edictis, Ecclesiæ quæsito, nec armis adversus temerantes aut antiquantes vindicato.



AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium,
CIↃ IↃC XLIX.


Per-illustri & Incomparabili Viro

CLAVDIO SALMASIO,

Equiti, Consiliario Regio, Domino Sancti Lupi &c.

SAMVEL SORBERIVS

χαίρειν καὶ εὐπράττειν.





Offero tibi dissertatiunculam, Vir Illustrissime, quam dudum eruditi multi à me efflagitaverant; sed cujus edendæ consilium, alieno tunc (ut videbatur) tempore, probare non sustinueram: occasionem enim illi præbuit olim bellum civile quod Religionis

ergò totum fermè decennium in Galliâ nostrâ sæviit, donec scilicet cæsis exercitibus nostris, captâ Rupellâ, incentoribus populi deficientibus, afflictis Protestantium rebus ingenia deferbuere. Vnde palam omnibus tandem factum est, divino Numini quæ contra Principem legitimum à subditis, nec libertatis antiquo munere fruentibus, bella geruntur minus probari, quamvis asserendæ veritatis, & veri cultus divini stabiliendi prætextu suscipiantur. Hoc hodie quàm sit tristi experientiâ compertum nemo non videt. Ea fuit quondam SAMVELIS PETITI τῦ μακαρίτυ *mens, sed non unquam credita Teucris. Eam autem vir ille summus, non in ultimis sanè censendus eorum qui Rempublicam literariam suis vigiliis ornatum ire voluerunt, sibi & Musis*

canens

canens (nam ſurdis ob armorum ſtrepitum & tubarum clangorem fabulam narraſſet) Diatribâ iſtâ expreſſerat; quam inter ſchedulas meas obviam nuper habui, & cum nihil aliud jam præ manibus eſſet quo te donarem, typis committendam cenſui, ut munuſculi iſtius factâ occaſione teſtarer publicè quantum te colam, quanta ducam felicitati innotuiſſe tibi, hocce biennium proximè elapſum tecum egiſſe ſub iiſdem mœnibus, nec ſine paulò interioris familiaritatis uſu. quâ mea εὐτυχία jure glorior, & gaudeo; quippe quâ jam penitus ſedata eſt ſitis huc uſque inextincta magnos virtute, ingenio, & eruditione viros adeundi, contemplandi, penitiuſque dignoſcendi. Hoc enim mihi animo deſiderium ingens à parvulo injecerat optimus avunculus nominis tui cultor eximius,

mius, quod quidem librorum lectio nonnulla fovit, quod unà cum adultiore ætate crevit, cui Lutetiæ post integrum quinquennium nondum satis prorsus factum putavi, etsi cum viris innumeris admirandis familiariter versatus sim, cum tu restares adhuc oculis nostris invisus, & scriptis tantùm tuis immortalibus notus. Contigit igitur mihi Leydæ quod in votis unicum deerat ad bonæ mentis studium nostrum ulterius promovendum. Atq; insuper contigit ut me benevolentiæ tuæ parte nonnulla dignatus fueris, nullo sanè merito meo, qui tenuitatem meam non ignoro, æqui tamen bonique consulens cultum quo virtutes tuas incomparabiles prosequor, & affectum illum quem in rem literariam solidioremque sapientiam intemeratum servabo, favente Numine, dum

tui

tui ero meique memor. Tu, quæso, Vir Magne, Vir Mirande, Vir sine exemplo, fac ne memoriâ excidam tuâ, neque bonum illud invideas mihi, quo solo, per adversam in cæteris persequendis fortunam, frui licet. Gratâ enim recordatione vitæ cum magnis viris actæ mirè delector, atque adeo incredibili perfundor voluptate quoties heroës illos intentâ cogitatione, absentes licet, veluti præsentes intueor, & benevolos, repetitâ præteritorum memoriâ, iterum experior. Magno certè solatio fuit semper quod viris eruditorum principibus non displicuerim, dum me lividis suis morsibus minorum gentium Doctores peterent. Nempe si quid in nobis est non spernendi, si quid lævâ sub parte mamillæ ritè salit, si quâ valemus industriâ, hoc non satis animadvertere potest,

 nisi

nisi qui perspicacissimâ ingenii acie pollet; nec semel animadversum laudare, nisi qui virtutibus illis abunde sit instructus, quarum in nobis tenuia fortasse rudimenta & exigua semina conspicit. Pietatem & probitatem arctissimè amplecti; candorem & modestiam unicè amare; mentis cultum plurimi facere; penitius velle res introspicere; pronum ad singulis benefaciendum animum gerere; viros quoscunque magnos suspicere & venerari; neque res laude dignas præmio debito fraudare, eæ sunt artes meæ, iis ausim gloriari. Ea sunt fortasse quæ tibi haud improbanda venerunt, & propter quæ ingenii tarditati, & cæteris nævis nostris ignoscere voluisti. Id quidem factum bene; & ex illo sapientiæ & eruditionis fastigio, ad quod te supra mortales cæteros evectum suspicimus.

Comitatis id erit nunc tuæ, quâ neminem non ſtatim devincis tibi, ſi oculos inde demittas, dum ea paucis perſtringam quæ ad Diatribam ſpectant. Duo, inquam, ſunt de quibus nonnunquam audivi PETITVM *noſtrum magnâ ingenii vi, tum multo ſermonis nitore diſſerentem. Nempe quàm incautè ſe gererent ſubditi (nam Reſpublicas ille liberas ſui juris eſſe permittebat, neque Principibus ſuprema cum authoritate imperantibus gladium ſuum eripiebat) qui vi & armis Religionem defendendam aut promovendam adverſus Regem legitimum eſſe putarent: quàm verò præter omne jus & Chriſtianorum officium facerent, qui diſſentientes circa Religionis dogmata homines odio proſequerentur, damnove ea de cauſa afficerent; utpote quorum aberrantium*

 miſe-

misereri potius nos deceret, quibus, ut judicio infirmioribus, tantò impensius opitulari deberemus. Videtur equidem, ajebat ille, qui hæresin suam armorum ope tueri conatur, quasi divina esset, & omnium certissima, eo ipso fidem ejus elevare & veritatis vim infirmare. Nam quæ vera sunt, nullo egent fuco, nullo nisu, ut animis hominum indantur; sed nudè tantùm & apertè proponi debent, cùm mentis humanæ sit oblatam veritatem, ut oculi non malè affecti lucem intueri. Præterea ut Sacerdotis & sacris addicti est, iis se non immiscere quæ ad Magistratum & ad civitatis regimen politicum attinent, quæ Pontificii sui non sunt; ita non est subditi gladium Magistratus usurpare. nec magis peccabit legislator in foro Conscientiæ, qui statuta ad civitatis suæ tranquillitatem

tem spectantia pro sanctis & divinis haberi volet; quàm errabit ille zelo præpostero, qui mysteria Religionis suæ politicis mediis confirmare conabitur, quasi hujuscemodi artibus sacra indigerent, & ad forum politicum pertinerent. Quare non putabat noster fidelium esse, nedum subditorum, ob edicta & privilegia quædam minus observata in Principem suum insurgere, imperii jugum excutere, regni quietem turbare, exercitus conscribere, copias cogere, urbes munitionibus obvallare. Sed si quid gravius incumberet ferendum, precibus apud Deum, supplicationibus apud Regem enitendum esse ut fieret levius: obsequio & fide demerendos esse animos eorum qui clavo assiderent, juxta illud Petri Apostoli, τ̄ θεὸν φοβεῖσθε, τ̄ βασιλέα τιμᾶτε. *Quæ si ferociores adversario-*

rum mentes non demulſiſſent, levius tamen evaſurum patientiâ quidquid corrigere nefas erat. Denique vel ſolum eſſe vertendum duriora non ferenti, vel extrema ſtrenuiori athletæ forti animo perpetienda. Extrema autem illa morte finiri, quæ quidem de vita futura perſuaſo pectori non eſt admodum reformidanda. Ad quæ, memini, habebat ſæpius in ore elegantiſsima Michaëlis Hoſpitalii Cancellarii carmina,

Sed neque mors aut eſt, aut debuit illa videri,
Quam melior deinceps æternaque vita ſequatur:
Nec gravis hoſpitii mutatio, cùm loca putri
Hæc congeſta luto, claris mutentur Olympi
Sedibus, & magno ponas veſtigia cœlo.

Vt

Vt autem vir ille summus in Historia veteris Ecclesiæ erat versatissimus, ab incunabulis Christianismi ad nostra usque tempora recensebat quàm verè dictum, Sanguinem martyrum ſemen fuiſſe Eccleſiæ: *adeo enim excrevisse memorabat nomen Christianum ob fortiter perpessas, non verò ob repulsas consertis viribus persecutiones. Fieri enim vix potest, addebat, ut qui hominem Christianum vident morum integritate, vitæ innocentia, mansuetudine,* μακροθυμίᾳ, *nullis non aliis virtutibus professionem suam ornantem, nullis non justitiæ fructibus onustum, pristinam ferocitatem non deponant, & ipsi tandem sciscitabundi sponte veritatem non inquirant. Nam cum nemo malus diu gaudeat, sed scelerum sibi conscius perpetuos tumultus mentis sentiat,*

qui

qui εὔροιαν vitæ turbant, atque idem. animadvertat fratrem Christianum dissentientem perpetuò sibi constare, rectum animi servare, eandem ubique vultus serenitatem retinere, nullis commoveri casibus adversis, procul dubio percontabitur, quænam sit illa doctrina cujus beneficio ἀταραξίαν est consecutus. Hac arte vetus Ecclesia crevit, & majorum nostrorum memoriâ Orbis Christiani facies renovata fuit. Non opum sitis, non honorum pollicitatio, non famæ & gloriæ spes, non tranquillitatis humanæ desiderium, è tyrannide Antichristi exemit quamplurimos Christi servos, qui mortem præsentem intuebantur cum de suscipiendâ Religione puriori cogitabant. non pondus rationum, in se gravissimum, tantum opus perfecit; vigent enim adhuc, & insuper habentur:

ſed probitas inſignis fidelium illius ævi, & vera morum reformatio unumquemque ſolicitabant ſerio inquirere in veritatem doctrinæ pro quâ viri præſtantes & coram hominibus inſontes extrema patiebantur. Quæ decenti Petitus proferens gravitate tandem Sulpitii Severi authoritate confirmabat, cujus in Hiſtoriæ Sacræ lib.2. locus inſignis exſtat, quem non piget referre. Diocletiano, *inquit*, & Maximiliano imperantibus acerbiſſima perſecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata eſt: quâ tempeſtate omnis ferè ſacro martyrum cruore orbis infectus eſt: quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur, multoque avidiùs tum glorioſis mortibus martyria quærebantur,

tur, quàm nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. *Huc referebat quæ Cyrillus habet in locum Ioannis de gladio Petri. Thebæa legio, ut acta nos docent, militibus constabat sexies mille sexcentis sexaginta sex Christianis omnibus: Qui cum Maximianus Cæsar apud Octodurum exercitum compelleret sacra diis falsis facere, primum Agaunum iter arripuerunt: & cum eò misisset Imperator qui eos ad sacrificandum venire juberet, ipsique se id facturos negassent, Maximianus decimum quemque jusit interfici per apparitores: qui nemine repugnante facilè imperium sunt exsecuti. Mauritius ejus legionis primicerius, à quo Agaunum vicus Mauritii dictus est postea, narrante Euchero Episcopo Lugdunensi, eo tempore commilitones*

ſic allocutus legitur: Quam timui, ne quiſquam, quod armatis facile eſt, ſpecie defenſionis, beatiſſimis funeribus manus obviam afferre tentaret? jam mihi ad hujus rei interdictum Chriſti noſtri parabatur exemplum, qui exemptum vaginâ Apoſtoli gladium propriæ vocis juſſione recondidit: docens majorem armis omnibus Chriſtianæ confidentiæ eſſe virtutem, ne quiſquam mortali operi mortalibus dextris obſiſteret, quin imo cœpti operis fidem perenni religione compleret. *Cum hoc ſupplicio peracto Imperator ſuperſtitibus eadem quæ ante præciperet; ſic omnes reſpondent:* Milites quidem, Cæſar, tui ſumus, & ad defenſionem Reipublicæ Romanæ arma ſuſcepimus: nec un-

quam aut desertores bellorum, aut proditores militiæ fuimus, aut ignavæ formidinis meruimus subire flagitium. Tuis etiam obtemperaremus præceptis, nisi instituti legibus Christianis, dæmonum cultus & aras semper pollutas sanguine vitaremus. Comperimus præcepisse te, ut aut sacrilegiis pollueres Christianos, aut de denis interfectis nos velles terrere. Non inquiras longius latitantes: nos omnes Christianos esse cognosce: habebis potestati tuæ subdita omnium corpora: auctorem verò suum respicientes Christum animas non tenebis. *Tum Exuperius legionis signifer, sic eam allocutus ibidem narratur*: Tenere me, Commilitones optimi, sæcularium quidem bello-

rum ſigna perſpicitis: ſed non ad hæc arma provoco, non ad hæc bella animos veſtros virtutemque compello. Aliud vobis genus eligendum eſt præliorum. Non per hos gladios poteſtis ad regna cœleſtia properare. *Deinde Imperatori hæc nuntiari jubet:* Non nos adverſum te, Imperator, armavit ipſa, quæ fortiſſima eſt in periculis, deſperatio. Tenemus ecce arma, & non reſiſtemus, quia mori magis quàm vincere volumus, & innocentes interire quàm noxii vivere præoptamus. *Et poſtea:* Tela projicimus, exarmatas quidem dexteras ſatelles tuus, ſed armatum fide catholica pectus inveniet. *Sequitur poſt hæc laniena in non repugnantes, in cujus narratione hæc ſunt Eucherii verba:*

Ne justi punirentur multitudo non obtinuit, cum inultum esse soleat quod multitudo delinquit. *In Veteri Martyrologio res eadem sic narratur:* Cædebantur itaque passim gladiis non reclamantes, sed & depositis armis cervices persecutoribus, vel intectum corpus offerentes, non vel ipsa suorum multitudine, non armorum motione elati sunt, ut ferro conarentur asserere justitiæ causam, sed hoc solum reminiscentes, se illum confiteri qui nec reclamando ad occisionem ductus est, & tanquam agnus non aperuit os suum, ipsi quoque tanquam grex Dominicarum ovium, laniari se tanquam ab irruentibus lupis passi sunt. *Non est igitur ut quis statuat Christianis in certissi-*

mo mortis periculo cum non ſe defenderent vires , non animum defuiſſe. Imprudens certè & impudens fuiſſet Tertullianus ſi apud Imperatores, qui ejus rei ignari eſſe non poterant, ita confidenter auſus eſſet mentiri : Si enim hoſtes & apertos , non tantùm vindices occultos agere vellemus , deeſſet nobis vis numerorum & copiarum. Plures nimirum Mauri,& Marcomanni ipſique Parthi , vel quantæcumq; unius tamen loci & ſuorum finium gentes,quam totius Orbis. Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes,inſulas,caſtella,municipia,conciliabula , caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum,forum: ſola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei , non prompti fuiſſemus,etiam copiis

impares, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quàm occidere? *Sequitur hic quoque magiſtrum ſuum Cyprianus ad Demetrianum, & apertè prædicat;* Inde eſt quod nemo noſtrûm, quando apprehenditur, reluctatur: nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius & copioſus noſter ſit populus, ulciſcitur. Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt. *Et Lactantius:* Confidimus enim Majeſtati ejus, qui tam contemtum ſui poſſit ulciſci, quam ſervorum ſuorum labores & injurias. Et ideo cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur: ſed Deo remittimus ultionem. *Nec aliud*

ſpecta-

ſpectavit Auguſtinus cum dicit: Nihil juſtus præcipuè cogitat in his rebus, niſi ut bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt; non enim fas eſt omnibus. *Ejuſdem eſt illud*: Quoties Imperatores in errore ſunt, leges ad tuendum errorem contra veritatem condunt, per quas juſti examinantur, & coronantur. *Idem alibi.* Ita à plebibus principes, & à ſervis domini ferendi ſunt, ut ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia & ſperentur æterna: *Quod veterum Chriſtianorum exemplo ſic explicat, de Civitate Dei libro* XXII. Neque tunc civitas Chriſti, quamvis adhuc peregrinaretur in terris; & haberet tam magnorum agmina populorum adverſus impios perſecutores, pro temporali ſa-

lute pugnavit, sed potius ut obtineret æternam, non repugnavit. Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro salute contemnere. *Necesse est subjici, ait Apostolus Paulus, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam; qua in subjectione includit non resistendi necessitatem. Vnde & alibi Scriptura sacra vaticinatur populum pressum injuriis à Rege illatis Dei opem imploraturum, quiâ scilicet humana remedia nulla exstarent. Quod & Ethnici Ethnicissimi non negarunt.* Principi, *verba sunt Taciti,* summum arbitrium Dii dederunt, subditis obsequii gloria relicta est. *Et alibi;* Meminisse debemus tempo-

rum quibus nati sumus, & bonos Principes voto expetere, qualescumque tolerare. *Si enim parentum instar à subditis coli debeant, idem subditorum officium est quod liberorum,* Ames parentem, si æquus est: si non, feras. *Nec sine gravissima ratione Artabanus Persa refert:* ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων, καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾶν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν, εἰκόνα Θεοῦ τὰ πάντα σώζοντος. *Nam cum summum Imperium non poßit non multorum odiis patere, securitas fungentis peculiariter fuit munienda. Quod Romani etiam in Tribunis plebis constituerunt, ut* ἄσυλοι, *inviolabiles essent. Displicuit semper Christianis factum ambitiosorum hominum, qui obtentu adjuvandæ Reip. in Reges suos insurrexerunt; quod & ad Scapulam jactat Tertullianus:* Circa Majestatem

 Impe-

Imperatoris infamamur: tamen nunquam Albiniani, vel Nigriani, vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani. *Caſsiani illi erant qui ſecuti erant Avidium Caſsium virum egregium, qui in Syria ſumptis armis cauſabatur Remp. ſe ire reſtitutum, quam M. Antonini negligentia perderet. Precibus & lachrymis pro telis & gladiis uſi ſunt fideles, dura religionis ergo perpetientes. Sic Iulianum defectorem cum peſsima conſilia agitaret, lachrymis Chriſtianorum repreſſum ait Nazianzenus, addens τοῦτο μόνον ἐχόντων κατὰ διώκτου φάρμακον. A Deo enim & ab alto mali Principes*, & quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala; ſic luxum & avaritiam, *adde ſævitiam & perſecutiones* dominantium tolerare debemus. *Converſus deinde ad contro-*

verſias

verſias Religionis, quæ ſcindunt nos iterum iterumque diſcordes, ridente Turcâ, nec dolente Iudæo, & miram adeo faciunt animorum diſſenſionem, ut nuſpiam in toto Orbe terrarum bella ſæviant atrociora & diuturniora, atque in Europâ noſtrâ, quæ luce fruitur Euangelii, & pacis doctrinam profitetur; ingemiſcebat primùm, & ubi ad remedia tanto malo excogitanda animum irrito conatu plurimùm torſerat, de peccatis hominum querebatur, quibus ulciſcendis Numen infenſum agro ſuo lolium iſtud innaſci, & certandi libidinem increſcere permittit. Quid enim, (verba ſunt amici noſtri Oratione de Pace haud ita pridem habitâ) pacem in exilium pepulit, quid illa miſcuit incendia, quibus flagrant cum noſtris regiones exteræ, niſi de Religione diſſidia? Nam & inquieta captari ſolent ab iis tempora qui Chri-

ſti tunicam inconſutilem diloricare meditantur, & umbraticæ, quæ dicuntur, controverſiæ nimium ſæpe in diſcordias exeunt, diſcordiæ in bella, bella in clades proficiunt; quæque videbantur Lycæi parietibus, ac palæſtræ regionibus, claudi certamina; poſtquam in pulpitis, ac thronis, ex ambone jactari cœpta ſunt, & in aulâ narrari, & in vulgus diſſeri, provincias invadunt, regna tota ruunt, conturbant, & ſuſque deque vertunt. Diſputatione in dimicationem versâ, ſtylus in telum deſinit, & pro atramento cruore imbuitur, à prælo ad prælium itur, ceſſatur à calamis, pugnatur armis, pro linguis lanceis, pro graphiis gladiis utimur. Exempla utinam in promptu non eſſent! Euangelium breve eſt, Crede Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei, & habebis vitam æternam. quid opus ergo tot tantiſque

ver-

verborum altercationibus? Sed quo tempore vox illa obtinebat, rudis & simplex nondum se fecerat artem Relligio; tunc brevis, hoc totum melior quo vita paratur, regula dictabat, non solis nota magistris, sed populi commune bonum; neque docta ferebant jurgia dissidium. Quæ quidem Viri Illustris verba Petitus usurpans præmonebat, nolle se accedere ad componenda dissidia novum Harmostem, nec Syncretismum ullum sibi in votis, cujus ratio cum jacturâ veritatis aut aliquo certè detrimento conjungeretur. Non ignotum sibi, malè cum Dagone Arcam sociari, libertati cum tyrannide, Euangelio cum Idolis, Christo cum Beliâ convenire nunquam posse. Sed tamen cùm nemo paullò cordatior inficias ire sustineat, humanæ Sapientiæ partem hanc esse multo maximam, de divinis rebus multa æquo animo nescire;

scire; de Deo, qui melius nesciendo scitur, etiam vera loqui periculosum esse; debere nos itaque juxta vocem Apostoli, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, & pacem Ecclesiæ, quâ salus populi continetur, supremam legem habere. Mirum est, & quo tamen nihil in natura frequentius, meliora & præstantiora quæque instituta sensim detorqueri depravarique. Nempe illa est rerum omnium communis lex, ut nihil sub Sole sit non obnoxium corruptioni, quod à bono paulatim in malum non deflectat, à malo verò in pejus casu præcipiti non ruat. Hujusce mutationis caussam Philosophi retulere ad mixtionem Elementorum, quibus sublunaria corpora compinguntur, quæ verò contrariis qualitatibus instructa mutuam inter se pugnam exercent, donec compositum dilabatur; unde & anima, corporis hospes, licet incorporea sit &

auræ

auræ divinæ particula, labeculâ non immunis, quodam veluti contagio inficitur. Nihil enim compertius est, juxta Platonem, quàm corpus morbis suis voluptatibusque, officere animæ ad philosophiam & ad veritatis indagationem accinctæ. Hinc opinionum illa varietas stupenda, hinc quot capitum vivunt, totidem studiorum millia: neque tres convivæ simul esse possunt, quin poscant vario multum diversa palato. Adde huic ἰδιοσυγκρασίᾳ, *peculiarem cujusque institutionem, anticipatas opiniones, externa quibus afficimur, unde fit ut filius nunquam vestigiis parentum pressè adeo insistat, quin sibi in multis sapiat, mutet quadrata rotundis. Et sanè quotidie cernimus, quod testamenta quæ à majoribus condita sunt litibus hæredum resecandis, vitilitigatoribus tamen & rabulis ansam præbeant, eventu prorsus*

ſus condentis voluntati contrario. Non abſimili ratione, quæ Religio hominibus à Deo ipſo tradita, & à mentibus religandis dicta fuit, tot peperit diſsidia, ut patri cum liberis, uxori cum conjuge minus inde conveniat. Hujus mali aliæ ſunt cauſæ, præter ſuperiores, innata homini mentis cæcitas, vitio primi parentis noſtri contracta, & rerum divinarum ſublimitas. Rectè Calvinus, Humani intellectus perſpicientiâ veritatem quærendo, quàm ſit ad ipſam & quærendam & inveniendam inepta prodit, & paullò poſt: Deum noſſe, ejus erga nos voluntatem, & formandæ ſecundùm illam vitæ rationem, veritates ſunt, ad quas non collimat, non contendit, non appropinquat humana ratio. Qui ſibi plus eâ in re intelligentiæ tribuit, eò cæcior eſt quod cæcitatem ſuam non agnoſcit. Ideoque Deus pater luminum

nium vocatur, quia ubicumque Spiritu suo non resplendet, omnia tenebris occupantur, nec patet ulli in regnum Dei ingressus, nisi cui novam mentem Spiritus sanctus sua illuminatione fecerit. Quocirca Ethnicorum plerique, quibus lumen illud divinum non affulserat, Religiones universas callida Legislatorum inventa perperam existimârunt: quippe cùm viderent homines esse malignos, qui suppliciorum quidem metu abstinerent palam, non abstinerent tamen clam ab inferendis injuriis, veteres sapienter induxisse opinabantur eam persuasionem, quod divina natura secretiora omnia permearet, occultaque etiam observaret scelera, quæ nisi in hac vita, in inferis saltem puniret per furias suppliciaque illic parata. Huic perniciosissimo fundamento dein superstruxêre alii,

nullas non Religiones esse bonas, & suam unicuique regioni peculiarem esse permittendam, ut in cæteris mores, instituta, & consuetudines variæ obtinent. Atque adeo, ut Solis & Lunæ varia nomina nequaquam sydérum universo Orbi illucentium naturam variam faciunt; ita Numinis ejusdem appellationes varias immortalem & simplicissimam unius Dei Essentiam non immutare arbitrabantur. Quo quidem pessimo ratiocinio usum legimus apud Socratem Themistium Philosophum, ad Valentis Imperatoris inclementiam erga Christianos mitigandam; cultuum scilicet vario illo apparatu Deum delectari. Sed nos docti saniora, ad odia mutua deponenda hisce remediis venenatis non utimur. Supersunt alia Dei benignitate longè potiora. Nempe scimus ab

eodem parente Adamo nos omnes originem traxisse; à nobis omnibus coli Creatorem unicum cœli & terræ; eandem nos venerari τὴν παναγίαν ἐν τριάδι μονάδα; *eodem nos Sacro tinctos lavacro; eundem nos Iesum Christum pastorem sequi, cujus præceptum est, sanctißimo ejus exemplo comprobatum, ut inimicos quoque nostros amore prosequamur. quod sanè difficillimum, sin minus præstare valeamus, pax tamen sarta tectaque cum omnibus maneat, juxta illud Apostoli,* εἰ δυνατὸν, τὸ ἐξ ὑμῶν, μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες. *Adde rationem, quæ causæ jugulum petit, Christianis omnibus de eodem fidei sacræ symbolo inter se convenire. Quamvis autem, prout quisque doctior & subtilior est, plura quoque videat, quæ in illo doctrinæ Euangelicæ compendio imperitiorem*

& obtusiorem latent, nihil tamen inde ad concordiam labefactandam argumenti. Nec enim debent rudiores succensere eruditis, quod acumine ingenii polleant, aut pollere sibi videantur; nec debent isti protervius se gerere in infirmiores, quos multa fugiunt subtiliora. Ridiculum procul dubio foret, ab indocto confessionem extorquere dogmatis illius quod non capit, vel ab erudito postulare, ut abnuat & expungat opinionem quam altè imbibit; nisi priùs iste dedoceatur, alter verò culturæ patientem aurem præbuerit. οὐ φιλικὸν, *ait Aristoteles Eth. ad Nicom. lib. 9. cap. 6.* τὸ περὶ τῶν οὐρανίων ὁμονοεῖν. Ad amicitiam non facit de rebus cœlestibus concordes esse. *Cui consonant versus notissimi.* Non eadem sentire bonis de rebus iisdem Incolumi licuit

ſemper amicitiâ. *Memores ergo ſimus, Chriſtum nobis abiturientem unicè pacem in mandatis dediſſe.* Εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν. *Voto finiam, quod authoris eſt non incelebris. Faxit Deus, ut illa, quæ è terris hodie exulat, Concordia, in Orbem Chriſtianum, in Eccleſias, in Reſpublicas, in Cathedras, in animos & ſcripta poſtliminio redeat, & ut conſpirantibus animis, conjunctis operis, uno corde, uno ore, uno calamo ea doceamus & diſcamus omnes in terris, quorum ſcientia nobis perſeveret in cœlis. Atque hæc plus ſatis. quæ quidem ſi paucioribus perſtrinxiſſem, minus, fateor, in publica commoda, (quæ promovere inter diros morbi ſæviſſimi cruciatus immota mente, vultu ſereno non deſinis) peccaſſem, mihi verò in lubrico loco verſanti melius*

fortasse consuluissem. Nam fieri posset ut malevolus aliquis vitio verteret, quasi rudis homo, & alienus à sacris, manibus illotis talia tractaverim. Sed absit ut me immisceam disputationibus, quibus jampridem valedixi, aut aliquid in medium adducere velim, quo me oblitum probem veteris adagii, Ne sutor ultra crepidam. *Discussionem quæstionum difficillimarum Theologis permitto, atque in fine illud addo quod Socrates apud Platonem in limine præmonebat, quoties de mysteriis religionis sermo oriebatur.* Χρὴ μεμνημένους, ἡμεῖς ὡς ὁ λέγων ἐγὼ, ὑμεῖς τε, καὶ οἱ κριταὶ φύσιν ἀνθρωπίνην ἔχομεν. Æquum est nos meminisse, & me qui differam, & vos qui judicabitis homnes esse. *Quanquam nihil hucusque ex propriâ, sed ex authoris no-*

ſtri mente retulerim. Quid enim hiſce de rebus ſtatuendum ſit meum non eſt judicare. Iudicent eruditi, quibus gratum facere volui, an ad primorum ſæculorum ſimplicitatem ætas noſtra ſit componenda. Nam ſi alia ætas alios mores poſtulat, & ea fuit Eccleſiæ in cunis adhuc vagientis conditio, ut in ipſam hoſtes impunè graſſarentur, fortaſſe nunc adultior facta talia ferre non debet? Oeconomiæ ratio alia nunc eſſe poteſt, nec Spiritus ſancti multiplex ſapientia tam arctis limitibus premenda, quin liceat diverſimodè Eccleſiam regere; atque ita quæ fortitudo in duris olim perpetiendis, nunc in repellendis eadem exerceatur. Sed eò nos ſenſim deduxit recordatio ſuaviſsima vitæ cum Samuele Petito olim actæ: cujus ſanè viri virtus tantò magis erit

tibi


tibi conspicua, Vir Illustrissime, quantò fuimus prolixiores in recensendis quamplurimis. Multa restant alia hujus viri ἀνέκδοτα, quæ inter sunt Animadversiones in Iosephum ad umbilicum non perductæ; sed immensâ fruge ex antiquitate reconditiori refertæ, quas erit aliquando (licet author Plinii exemplo volebat, pro non inceptis haberi, quæ non absolvisset) ut otium nacti juris publici faciamus. Accipe interea munusculum, cujus tenuitati velim nonnihil ponderis accedat ex ingenti illo affectu, quo me tibi totum devoveo, ex illo cultu purissimo, quo heroicas virtutes tuas prosequor. Vale, sæculi decus Immortale, cum tuis omnibus. Hagæ Comitis x Kal. Mart. CIϽ IϽ C XLIX.

SAMVELIS PETITI

DIATRIBA

De jure, Principum Edictis, Ecclesiæ quæsito, nec armis adversus temerantes aut antiquantes vindicato.

CAPVT I.



Argumentum hujus Diatribæ.

QVàm malè de ſuo nomine mereantur Chriſtiani, qui religionis obtentu malum malo diſpungunt, & ultionem operantur, cordato nemini dubium eſſe poteſt: ſectam enim illam ſanctam infamant ſuo ſcelere, & odium veritati (quæ ipſa ſibi, ſi forte, non pariebat) apud viros bonos & patriæ amantes creant. Fuit tempus cum à cœteris hac maxime diſtinguerentur nota, Reipub. pacem factionibus & con-

jurationibus non infestare, nunquam pati suam in præstanda Principibus veneratione, amore, fide, obsequio, operam desiderari. Quorum utinam vestigiis insisteremus, qui nos cognomines dicimus, non toties Gallia istis tremeret tota tumultibus, non patrarentur

Tam multa dictu gravia, perpessu
aspera:

non fierent strages, non cæderentur greges armentorum, non epularentur milites, non vastarentur agri, non diriperentur villæ, non matresfamilias, non virgines ingenuæ abducerentur, militibus traderentur: O patria,

Quis talia fando
Temperet à lacrymis?

Esset quidem istis locus lacrymis: Sed comprimamus: Lubet potius vos appellare, qui Christianum nomen mentiti, Ecclesiæ tuendæ, & asserendæ libertati, hosticum spiratis,

Quò quò scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
An id satis pro Christi disciplina? Minime gentium: Nam eâ jubemur diligere inimicos quoque, & orare pro eis qui nos persequuntur, ut hæc sit perfecta & propria bonitas nostra, non communis: Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum: apud istam disciplinam magis occidi licet quam occidere. An vero veteris Ecclesiæ exemplo? Non ita opinabitur quisquis animo repetet laborum ejus annales: Cui rei dicatus est à nobis Deum præfatis hic labor, quo pudorem τοῖς κακέκταις, ni frons illis ærea, exprimamus, & bonos ad meliorem mentem revocemus hac Philosophia ἐκ παραδειγμάτων. Iubemus itaque sive rogamus inspicere, tanquam in speculum, in vitas piorum, qui pluribus ab hinc retro seculis fuerunt, atque ex iis sumere

Matth. v.

exemplum sibi ; næ illi militem non conscribent, copias non educent, signa non conferent, pugnam non dabunt: Sed contra, si in ea inciderint tempora, ὃ μὴ γένοιτο, μηδ' ἔσαι, in quibus cum omni ignorantium sævitia concertandum sit, denotati gloriabuntur, accusati non defendent, etiam ultro erumpent, & interrogati confitebuntur, damnati gratias agent.

CAPVT II.

Iudæos armis non asseruisse ritus suos & fidem adversus Reges suos desciscentes, etiamsi sævirent. De Iudæorum & Israëlitarum Regibus quæsitum è Iudæorum sententia contra Baronium & Casaubonum, an jus dicerent, & illis diceretur, nec ne.

HÆc quidem non scripta, sed nata Lex videtur, quam non didicimus, accepimus, legimus: verum

verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus, ut vi vis illata defendatur & omnis honesta ratio sit expediendæ salutis. Sed Christiano, qui seculo renunciavit, longè alia scripta Lex est, & de cœlo data, quæ de ira, de maliloquio interdicit, quæ injuriam non permittit, nec vicem injuriæ sinit, sed jubet *Verberanti in faciem* ; *Matth. v, 39.* *etiam alteram genam obvertere*. Quod autem in neminem licet, eò magis nec in Principem, qui per Deum tantus est. Et certè ubi Principes Dei rebus superbius insultantes, in viros pios sævierunt, & illos vulgus ad leones depostularunt, non à fidelibus coïtiones in Reipublicæ perniciem initæ sunt, non ad arma conclamatum est. Id liquido erit, renovatâ veteris historiæ Ecclesiasticæ memoriâ ; quod à nobis, σὺν θεῷ δ' εἰπεῖν fiet,

fiet, quantum patietur hujus operæ nostræ tumultuariæ ratio.

Ecclesia vel est Veteris, vel Novi Fœderis: Illa suos habuit Reges & Principes, ejusdem fidei & religionis consecraneos, nisi si qui à Iudaicis ritibus desciverunt: Hæc vero ad Constantini Magni usque tempora, dominata est Imperatoribus idolorum cultoribus, & Christiani nominis, ut plurimum, hostibus acerrimis: Nam Philippos Augustos in Christianis Principibus non debere censeri sententia nostra est.

Ex Moysis Lege, si quis populo exemplo suo præivisset ad idololatriam, in illum animadvertebatur: at quanto severius multatus fuisset, si non exemplo tantum, sed pœnis & sævitia ad hanc insaniam populũ adegisset, vel bonos, quos חסידים appellant, temerasset, & furori atque immanitati suæ sacrilegè immolasset? Quod à Iudæorum Regum

Exod. XXII, 20. Deuteronom. XIII.

gum quibuſdam factum legimus, ut de Manaſſe teſtatur Liber IV. Regum, cap. XXI. Sed non eo veſaniæ ventum erat in gente Iudaïca, ut vel ex hac Lege jure experirentur adverſus Regem, vel armis inſurgerent. Prius illud tentaſſe videri poſſent ex iis, quæ obſervat Illuſtriſſ. Annalium Eccleſiaſticorum conditor, Tomo I. ad annum Chriſti XXXI. numero X. ſiquidem vera eſſent, quæ ab eo referuntur certo conſilio, & arte maxima, ut nimirum Hildebrandinæ doctrinæ caput illud adſtruat, quo non ſine ingenti piaculo Pontifices Maximi Regibus ſolo Deo minoribus præferuntur, & judices dantur. Sed illi controverſiam facit Incomparabilis Caſaubonus ὁ μακαρίτης, Exercitatione XIII, ad illos Annales cap. V. Qua de re paucis agendum eſt. Baronii verba hæc ſunt, ubi de Synedrio agit: *Erat horum ſumma auctoritas, ut qui de Lege cogno-*

 ſcerent,

ſcerent, & de Propheta, ac ſimul de Regibus judicarent: Horum namque judicio Herodes Rex poſtulatus eſt. Caſaubonus: *His Pſeudophilonis mendaciis ingentem de ſuo cumulum adjicit Baronius, cum dixit, concilium hoc ſeptuaginta virorum de Regibus judicaſſe. Falſum eſt, Synedrium hoc jus habuiſſe. In Thalmud Maſſeca Haſſanedrin, perek II, quod incipit, Cohen gadol, jura Pontificum Maximorum & Regum accuratè explicantur. Ibi de Rege ita ſcriptum:* המלך לא דן ולא דנין אותו לא מעיד ולא מעידים אותו לא חולץ ולא חולצים לאשתו: *Non judicat Rex, neque de illo judicatur; non dicit teſtimonium, neque contra illum dicitur: non exuit calceum, neque pro ejus uxore quiſquam exuit calceum. En de jure.* Hactenus Caſaubonus. Non adminiſtrabatur à Iudæorum Regibus Reſpublica pro arbitrio, ſed tantum è Senatus ſeptuaginta virorum ſententia, conſilio, & auctoritate:

ritate: Iosephus Lib. IV. ubi jura Regum describit. παραχωρείτω δὲ οὗτος τοῖς μὲν νόμοις καὶ τῷ θεῷ τὰ πλείονα τοῦ φρονεῖν, πρασσέτω δὲ μηδὲν δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης. *Is quisquis fuerit, plus Deo & legibus, quàm suæ sapientiæ tribuat, nihilque præter Pontificis ac Senatus sententiam faciat.* Idem dicas de Iudæorum Regno, quod de Lacedæmoniorum scripsit Aristoteles, Polit. Lib. III. cap. XIV. οὐκ ἔστι δὲ βασιλεία κυρία πάντων. *Neque verò Rex potestatem habet omnium.* Iudiciorum potestatem & jus illis denegat vir summus, & juris regulam è Thalmudistis laudat, quæ id neget. Regula expendenda est: illius postremum Kaput referri debet ad institutum Legis Mosaïcæ, de quo in Deuteronomio cap. XXV. & agnoscit Maimonides Lib. I ad extremo, Tractatu מלכים, cujus verba sunt: אשת של מלך אינה נבעלת לאחר לעולם:

לעולם: Regis uxor in æternum alteri non nubit: Virginemque ducere tenebatur. Maimonides ibidem: המלך אינו נושא אלמנת או גרושת: Rex non ducit viduam, aut ab altero dimiſſam. E duobus aliis Kapitibus poſterius è priori pendet: Nam ſi judicatur Rex, etiam adverſus illum teſtimonium dicitur. Diſtinguit autem Maimonides loco laudato inter Reges Iſraëlis, & Reges Iudæorum Davidis poſteros; illos negat judicia reddidiſſe, aut de illis fuiſſe reddita: negat quoque teſtimonium ulli dixiſſe, aut ab ullo adverſus illos dictum fuiſſe: At contrarium de Regibus, qui ad Davidem genus referebant ſuum, aſſerit. Verba præſtantiſſimi Scriptoris ſunt: 1. parte Iad chaſaka, Tract. de Regib. מלכי בית דוד דנין ודנין אותן ומעידים עליהם אבל מלכי ישראל

גזרו חכמים שלא ידון ולא דנין אותו ולא מעיד ולא מעידין עליו:

Reges familiæ David quod attinet, *judicant* illi, *& judicant eos* alii, *& testimonium adversus eos perhibent: verum reges Israel* quod attinet *statuerunt sapientes, quod non judicet* ipse, *neque judicent eum* alii, *neque testimonium perhibeat, neque alii testentur de ipso, vel contra ipsum.* Iudicabant itaque Davidis posteri, ut hic legitur, & alibi apud eundem eodem Libr. Tractatu Sanhedrin, cap. II. scribitur, Regem è posteris David judicia, quamvis inter Senatores non sederet, populo reddidisse: מלכי בית דוד אע״פי שאין מושיבין אותם בסנהדרין דנין הם את העם: *Reges familiæ David, quamvis non constituant eos in Sanhedrin, judicant tamen ipsi populum.* Quod legas eodem Tractatu cap. IV. ab Æchmalotarcha, qui genus suum pater-

paternum ad Davidem referebat, usurpatum, ראשי גליות שבבבל במקום מלך הן עומדים ויש להן לרדות את ישראל בכל מקום ולדון עליהן בין רצו לא רצו : *Capita sive principes captivorum qui sunt Babylone vice Regis sunt constituti, licetque ipsis imperare Israëli omni in loco, seu placeat ipsis, seu non placeat.* Ratio est, quia erat במקום מלך vices Regis gerebat. Idem tamen animadvertas in Iudæorum Rege, quod in illo Lacedæmoniorum, hic κτεῖναι οὐ κύριος, inquit Aristoteles, εἰ μὴ ἔν τινι, *morte plectendi non habet potestatem, nisi in aliquo casu.* Iudæorum verò Rex jus habebat tantum animadvertendi gladio. Maimonides Tractatu Sanhedrin, cap. XIV. ubi docet quatuor fuisse pœnarum genera ab antiquo Iudæis usurpata, vivicomburium, strangulationem, lapidationem, decollationem, addit:

dit: אין רשות למלך להרוג באחת מהן אלא בסייף בלבד: *Non conceditur Regi vel unum ex iis morte plectere, nisi gladio tantum.* E quibus liquet in capitalibus causis omnibus Regem judicium non reddidisse, sed in iis tantum, quarum pœna erat è Moysis Lege decollatio: Pœnas enim non licebat mutare. Postulari quoque potuisse Reges Davidis posteros Synedrii judicio, & adversus illos testimonium dici, docuit paullo ante Maimonides Tractatu מלכים *de Regibus.* quod etiam refert Tractatu Sanhedrin, cap. II. מלכי בית דוד אע"פי שאין מושיבין אותם בסנהדרין דנין הם את העם ודנין אותם אם יש עליהן דין: *Reges familiæ David etiamsi non constituant eos in Sanhedrin, judicant tamen ipsi populum; & judicant eos* Reges *cum est judicium contra ipsos.* Erat enim pe-

nes

nes Synedrium poteſtas maxima. unde de jure Regis ſcribit Ioſephus, *πραττέτω δὲ μηδὲν δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης*, *nihilque præter Pontificis ac Senatus ſententiam faciat*. Vnde bella non gerebant, niſi è ſententia Synedrii: excipiunt bella מצוה quæ vocant: מלחמת מצוה זו מלחמת שבעה עממים ומלחמת עמלק ועורת ישראל מיד צר שבא עליהם: hoc eſt, *bella quæ gerebantur adverſus illos ſeptem Cananitidis terræ populos & Amalecitas, & illos qui in Iſraëlitas irruptionem fecerant*, adverſus hos quippe non expectabatur Senatus auctoritas, ſed Rex ſuis auſpiciis copias educebat; in aliis vero bellis, quæ רשות dicebantur, Senatum auctorem habebat. Maimonides Tractatu de Regibus & bellis: מלחמת מצוה אינו צריך ליטול רשות בית

בית דין אלא יוצא מעצמו בכל עת
כופה העם לצאת אבל מלחמת
רשות אינו מוציא העם בה אלא
על פי בית דין של ע"א : *Ad bellum injunctum mandato*, Dei ſcilicet; adverſus ſeptem populos Canaan, *non opus erat ut acciperet ad hoc facultatem domus judicii: ſed exibat propriis auſpiciis omni tempore, cogebatque populum ut egrederetur: Verùm in bello ex facultate, in eo non educebat populum, niſi ex verbo domus judicii ſeptuaginta ſcilicet virorum.* Quod ad Herodem attinet, cujus exemplo nititur Baronius, optimè obſervat Caſaubonus admodum juveni & privato, pater enim illius Antipater tunc erat in vivis, dictam eſſe diem. conſtat è Ioſepho Lib. XIV. cap. XVII. è quo etiam liquet Regem jus dixiſſe unà cum Senatus conſeſſu: vide Sameæ orationem unius è Senatoribus, quam habet ad Senatum & Regem, cujus initium

tium eſt, ἄνδρες σωύεδροι ϗ βασιλεύς. Quod non pugnat cum iis quæ paullo ante è Maimonide deſcripſimus, Regem inter Senatores non ſedere: nam Maimonidis hæc mens eſt, Regem judicia reddidiſſe, non eo quod inter Senatores eſſet allectus, Senator enim non erat, neque de omnibus cauſis cognoſcebat, ſed quia Rex erat: jus tamen dicebat in iis quæ ſuæ erant cognitionis, non ſolus, ſed una cum Senatoribus, ut ex Ioſephi hac hiſtoria conſtat. Atque hæc, jus dici ſolitum Regi, ſi quid deliquiſſet, à nobis dicta ſunto è Iudæorum ſententia, non ex vero: Iudæi enim iſtam πολιτείαν animo tantum conceperunt, nulli Principes eo jure regnarunt: vide quæ in ſacris Bibliis habentur, quæ apud Ioſephum vernaculum rerum Iudaïcarum ſcriptorem leguntur, dabo pignus in omnes meas fortunas, ſi vel verbo jus

iſtud

iſtud aſſeratur,ſed contrarium plane illis quæſitum eſt Deo auctore in Saulis inauguratione apud Samuelem, & conſtat ex hiſtoria Legibus ſolutum fuiſſe Principem, ἤγεν ἁμαρτήσαντα ἐ κολάζεσθαι, *quamvis deliquiſſet pœnæ non fuiſſe obnoxium*: ut illud Æſchyli de Jove, Principi verè accommodes, τραχὺς μόναρχος ἐδ' ὑπεύθυνος κρατεῖ, *Durus Monarcha & nemini ſubditus imperat*. Non igitur in jus vocabatur, nec item armis oppugnabatur, utcumque à Judaïcis inſtitutis deſciviſſet,& in pios perſecutionem feciſſet: in eo namque judicium Dei ſuſpiciebant, qui præfeciſſet, id in eo ſciebant eſſe,quod Deus voluiſſet: itaque nunquam in Regem ſuum religionis obtentu arma moviſſe in ſacra legitur hiſtoria.

CAPUT III.

Ad Christianos ventum: vim vi non propulsasse. in scriptis Novi Fœderis epitheto Dei pacis Deum insigniri. Edicta in gratiam Christianorum proposita ordine recensita, ex iisque primum & secundum hoc capite.

SEd Judæos mittamus, quorum non erat tam perfecta bonitas, quam fuit Christianorum: ἐῤῥέθη γὰρ τοῖς Ἰουδαίοις, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου. *Dictum enim est Iudæis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum.* Christianis verò ne verbo quidem lacessere sine judicii periculo licet; & habere benevolentiam cum adversariis, maledicentibus benedicere, persecutoribus bona precari præcipitur: Adde quod, utut bene animati essent Judæi in suos Principes etiam τοὺς παραβάτας, nec rebellarent; armis tamen & in Cananitidis

Matth. v. 43.

tidis terræ possessionem missi sunt, & salutem suam adversus hostes exteros irruptionem facientes expediverunt, Deo auctore, qui passim in sacris Veteris Testamenti libris appellatur Deus vel Dominus σαβαὼθ, *exercituum.* Christiani contrà, ferocientibus hostibus & insurgentibus nominis odio & reatu, gravissimas ponunt, revelari auspicati, spiculatoriam morosissimam pedibus absolvunt terræ sanctæ insistere incipientes, gladium nec Dominicæ defensioni necessarium reddunt, & russati sanguinis sui spe, calceati de Euangelii paratura, succincti acutiore verbo Dei, toti de Apostolo armati, & de martyrii candida coronati, donativum Christi in vinculis & inter cruciatus expectant, & pacem præstant, ita jubente Domino, qui in Novo Fœdere perpetuo audit epitheto, *Deus pacis*, nunquam, *Deus Sabaoth*: nisi forte duo-

bus in locis, uno Rom.IX. 29. ſed verbis Eſaïæ, & in Judæorum rebus; altero Jacobi v.4. ſed cum alluſione ad Moyſis Legem.

Verum objicies, merito à Chriſtianis ad arma ventum non eſſe, quia Chriſtianis nulla cautum erat Lege, qua illis liceret eſſe in orbe Romano pacatis. Ego vero iſtuc ibam,& plane contrarium aſſevero: Nam, quamvis paſſim ab inſana plebe in Chriſtianos ſit ſævitum, & Imperatorum Edictis facta perſecutio, Deus tamen, qui novit optimè,quid valeant ſuorum humeri, quid ferre recuſent, lætis triſtia mutavit nonnunquam, adverſaque temperavit ſecundis: itaque reſcriptis & ſanctionibus Principalibus Chriſtianorum vitæ, innocentiæ, atque religioni cautum eſt: Quæ reſcripta, ſanctiones, edicta, ordine referemus, θεοῦ διδόντος, idque à cenſu hujus diſciplinæ,

plinæ, qui à Tiberio eſt, ad Conſtantini Magni uſque tempora.

Ac primum quidem, quando Chriſtianum nomen in ſeculum introivit, Tiberius Imperator, qui Chriſto honorem haberi vellet, Chriſtianis habuit, & edixit, ne quis Chriſtianos religionis ergo & nominis deferret, periculum comminatus, ſi quis feciſſet ſecus. Tertullianus Apologetico: *Tiberius, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina, quæ veritatem illius divinitatis revelarat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit; comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Eadem è Tertulliano refert Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. II.cap. II. ut & in Chronico Canone ad annum Tiberii XXII. Q. Plautio Q. F. Læliano & Sex. Papinio Q. F. Gallieno Coſſ.

Πιλάτου Τιβερίῳ τὰ κατὰ τὸν σωτῆρα ἀναγαγόντος, καὶ τοῦ Χριστιανῶν δόγματος, Τιβέριος πρὸς τὴν σύγκλητον ἐκοινολογήσατο περὶ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, τῆς δὲ μὴ πειθομένης, ὁ αὐτὸς θάνατον ἐψηφίσατο κατὰ τῶν διωκτῶν τῶν Χριστιανῶν, ὡς Τερτυλλιανός ἱστορεῖ ἐν τῇ ὑπὲρ Χριστιανῶν ἀπολογίᾳ. *Pilato de Servatore & de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera ſacra Christiana fides reciperetur. Sed cum non perſuaſiſſet, Tiberius accuſatoribus Christianorum per edictum mortem comminatus eſt, ut Tertullianus narrat in Apologetico pro Christianis.* Sed fuſius paullo hiſtoriam hanc exſequitur B. Hieronymus, & Euſebii verba liberè vertit: *Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera ſacra reciperetur. Verum cum ex conſulto Patrum Christianos eliminari Vrbe placuiſſet, Tiberius per Edictum accuſatoribus Christianorum comminatus eſt*

mor-

mortem. Sed nobis non poteſt probari, qod hanc hiſtoriam conferunt Euſeb. & Hieron. in annum Tiberii XXII. Ratio eſt, quia Euſebius ipſe non multo poſt reſurrectionem Chriſti à mortuis, Pilatum de illo ad Tiberium retuliſſe ſcribit Hiſtoriæ Lib. II. cap. II. Καὶ δὴ τῆς παραδόξου τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀναστάσεώς τε καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀναλήψεως τοῖς πλείστοις ἤδη περιβοήτου καθεστώσης, παλαιοῦ κεκρατηκότος ἔθους τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχουσι τὰ παρὰ σφίσι καινοτομούμενα, τῷ τὴν βασίλειον ἀρχὴν ἐπικρατοῦντι σημαίνειν, ὡς ἂν μηδὲν αὐτὸν διαδιδράσκοι τῶν γινομένων, τὰ περὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ, εἰς πάντας ἤδη καθ' ὅλης Παλαιστίνης βεβοημένα, Πιλάτος Τιβερίῳ βασιλεῖ κοινοῦται. ὡς τάς τε ἄλλας αὐτοῦ πυθόμενος τερατείας, καὶ ὡς ὅτι μετὰ θάνατον ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν, ἤδη θεὸς εἶναι παρὰ τοῖς πολλοῖς ἐπεπίστευτο. *Cùm jam incredibilis & admiranda Servatoris noſtri reſurrectio, atque etiam aſcenſio in cœlos,*

quamplurimis pervulgata percrebresceret; cumque vetus apud Gentium Magistratus & Præfectos inveterasset consuetudo, ut si quæ nova & inaudita apud illos forte obtingerent, ei qui regium in eos imperium obtinebat, significarent, quò nihil eorum quæ gerebantur illum subterfugeret; Pilatus de resurrectione Servatoris nostri Iesu à mortuis, quæ per omnium ora jam in universa passim Palæstina hominum sermone ac fama pervasisset, utpote qui cum alia ejus miracula auditione accepisset, tum etiam quo pacto post mortem denuo à mortuis suscitatus, jam Deus à multis pro certo crederetur. Neque verisimile est, tamdiu à Christi resurrectione procrastinasse Pilatum de Christo ad Tiberium referre, ab anno videlicet Tiberii XIX, quo in crucem actus est Christus, ad annum ejusdem XXII. Itaque si quis conjecturæ locus sit, non dubitem ista adscribere anno Tiberii XX. & ita biennii unius metachronismo peccare Eusebium.

ſebium. Erit igitur annus Tiberii xx. meritò inſignis titulo & epocha conceſſæ Chriſtianis, ex Tiberii edicto, metu omni procul, (ut quorum accuſatoribus mortem comminaretur) libertatis fidem Chriſti profiteri.

Sed non diu admodum Chriſtianis licuit hoc jure gaudere. Nam poſt illa in Chriſtianos confitentes & perſeverantes capitalis pœna fuit Lege conſtituta: Habes apud Euſeb. Hiſtor. Lib. v. ubi de Apollonio Martyre agit: Ὁ δέ γε θεοφιλέστατος μάρτυρ, πολλὰ λιπαρῶς ἱκετεύσαντος τοῦ δικαστοῦ, καὶ λόγον αὐτὸν ἐπὶ τῆς συγκλήτου βουλῆς αἰτήσαντος, λογιωτάτην ὑπὲρ ἧς ἐμαρτύρει πίστεως ἐπὶ πάντων παρασχὼν ἀπολογίαν, κεφαλικῇ κολάσει ὡς ἀπὸ δόγματος συγκλήτου τελειοῦται. μὴ δ' ἄλλως ἀφεῖσθαι τοὺς ἅπαξ εἰς δικαστήριον παριόντας, καὶ μηδαμῶς τῆς προθέσεως μεταβαλλομένους, ἀρχαίου παρ' αὐτοῖς νόμου κεκρατηκότος. *Iſte autem Deo cariſſimus Martyr, cum Iu-*

dex obnixè ab illo petiisset flagitassetque ut fidei suæ rationem coram Senatu redderet, simul atque accuratissimam orationem apologeticam pro fidei quam profitebatur defensione coram omnibus recitasset, sententia Senatus securi percussus decessit è vita. Quippe vetus lex apud illos exstabat, Christianos qui semel in judicio comparuerant, nisi professionis suæ sententiam mutarent, non omnino liberos dimittendos esse. Fuit Lex ista sancita ante Trajani tempora; nam illam *Trajanus ex parte frustratus est*, ut loquitur Tertullianus: & procul dubio à Nerone est, qui primus in Christianos ferocivit. Tertullianus Apologetico. *Consulite Commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cummaximè Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest nonnisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.*

Secun-

Secundum hanc Legem ſuam perſecutionem in Chriſtianos fecit Nero, cujus tempus per quinquennii metachroniſmum, ut jamdiu Vir Illuſtris in Euſebianis obſervavit, aſſignat Euſebius in Chronicis anno XIV Neronis, cùm verus annus ſit nonus Neronis, qui Coſſ. habuit Memmium Regulum, & Virginium Rufum, ut conſtat è Tacito, qui ſupplicium Chriſtianorum ſubjicit ſtatim poſt incendium Vrbis Neronianum. Ergo hoc anno Neronis nono in Chriſtianos ſcripta eſt hæc Lex, de qua agimus, & ex ea Lege in illos ſævitum, non tantum à Nerone, ſed etiam ab aliis omnibus, qui poſtea perſecutiones in Chriſtianos excitarunt: ut contra temperata eſt ab æquis illis Principibus, qui Chriſtianorum vitæ & innocentiæ ire conſultum voluerunt.

Nerone non minus Eccleſiam afflixit Domitianus, *quem calvum*

dixit

dixit ſua Roma Neronem. Tertullianus : *Tentaverat & Domitianus portio Neronis de crudelitate.* Narrat Euſebius Hiſtoriæ Lib.III. & annus adſcribitur in Chronicis XIV Domitiani. Sed videtur animum mutaſſe Domitianus, & iram poſuiſſe : Referunt enim illum reſtituiſſe exules, & Edicto in poſterum Chriſtianis caviſſe, ne malè multarentur. Tertullianus: *Sed qua & homo, facile cæptum repreſſit, reſtitutis etiam quos relegaverat.* Et ex eo Euſebius Lib. III. cap. XV, qui addit ex Hegeſippo, ſedatum fuiſſe, cùm à cognatis Domini accepiſſet, ὡς ἡ τοῦ Χριστοῦ βασιλεία οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ' ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει : *regnum Chriſti non eſſe mundanum & terreſtre, ſed cæleſte & angelicum.* Itaque καταπαῦσαι διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς ἐκκλησίας διωγμὸν, *deſtitiſſe à perſecutione ; quam ex decreto contra Eccleſiam inſtituerat.* Sed mirum hoc videtur in crudeliſſimo

lissimo Principe & subnerone. Quare nullus dubito hoc secundum in Christianorum gratiam Edictum adscribere Nervæ, qui, cum iniret imperium, ex SC. exules restituit, & vetuit quemquam, tantum quod Christianus, deferri, ut refert ibidem Eusebius, in eo laudans, τοὺς γραφῇ τὰ κατὰ τοὺς χρόνους παραδόντας, *eos qui literarum monumentis historiam temporum consignaverunt.* Et habes apud Dionem Lib. LXVIII. Καὶ ὁ Νερούας τούς τε κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε, καὶ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε, οὔτ' ἀσεβείας, οὔτ' Ἰουδαϊκοῦ βίου καταιτιᾶσθαί τινας συνεχώρησε. *Et Nerva eos qui impietatis crimine damnati erant liberos dimisit, & fugientes reduxit, & neminem aut propter impietatem aut propter Iudaicos ritus accusari permisit.* Est igitur Edictum à Nerva in Christianorum, quos per Iudæos intelligi apud Dionem forte certum non est; sed designari impietatis reatu indubium est, gratiam

tiam propoſitum, anno imperii ejus primo.

CAPUT IV.

Errores Baronii deteguntur in aſſignando anno Reſcripti D. Trajani ad C. Plinium. Plinius non Proconſul, ſed Conſulari poteſtate, primuſque in eam Provinciam Proprætore miſſus. verus annus aſſignatur. Edictum III. & IV. *proponuntur.*

TErtium Edictum Trajani eſt, qui Plinio reſcripſit Chriſtianos inquirendos non eſſe, oblatos vero puniri oportere: Reſcriptum etiam hodie legitur inter Amœbæas Plinii Epiſtolas Lib. x. quod hic adſcribemus.

TRAIANUS PLINIO S.

Actum quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant, ſecutus es. Neque enim in univerſum aliquid, quod

quaſi

quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur, & arguantur, puniendi sunt: ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id est, supplicando Diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli, nullo crimine locum habere debent; nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est.

Meminit Eusebius Historiæ Lib. III. cap. XXVII. hujus Rescripti, quod exagitat Tertullianus Apologetico. Datum hoc ad Plinium Rescriptum refert Eusebius in Chronicis anno Trajani decimo. *Plinius Secundus, cùm quandam Provinciam regeret, & in Magistratu suo plurimos Christianorum interfecisset, multitudine eorum perterritus, quæsivit de Trajano quid facto opus esset, nuncians ei, præter obstinationem non sacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo ut Deo,*

nihil

nihil apud eos reperiri. præterea ad confœderandam disciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, & his similia. Ad quæ commotus Trajanus rescripsit, hoc genus quidem inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere. Illustriss. Cardinalis Baronius Annalium Ecclesiasticorum Tomo II. ad annum Christi CIV. tempus Rescripti confert, ut Vir Cl. Calvisius quoque, in annum Trajani quintum, qui Coss. habuit C. Sosium Senecionem III. & L. Licinium Suram II. Verba Baronii τοῦ πολυμαθεστάτου sunt: *Anno sequenti, qui numeratur Domini centesimus quartus, Sura II. & Serviano Coss. C. Plinius Secundus, post functionem superioris anni Consulatus, more majorum Provinciam administrandam suscepit Bithyniam.* Additque eodem isto anno, quo Bithyniam est ingressus, de Christianis ad Trajanum scripsisse, eique Trajanum rescripsisse, quæ hic descripsimus,

Verum

Verum tria à nobis, pro inſtituti noſtri ratione, excutienda peccat Baronius. primum eſt, quod facit Plinium ſortiri Provinciam anno à geſto Conſulatu; alterum, quod Proconſulem facit Bithyniæ; tertium denique eſt, quod primo ſuæ adminiſtrationis & ingreſſus in Provinciam anno iſta contigiſſe narrat: De quibus jam ſigillatim atque ordine à nobis, cum bono Deo, agendum eſt. Ex inſtituto D. Auguſti, qui Magiſtratus geſſerant, Provincias Populi Romani non ſortiebantur ante quintum à geſto Magiſtratu annum. Dio Lib. LIII. Κοινῇ γὰρ δὴ πᾶσιν αὐτοῖς ἀπηγόρευσε, μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι. *Communiter omnibus interdixit, ne quis ante quinquennium à Magiſtratu in Vrbe geſto elapſum, munus aliquod ſortiretur.* Quare Plinius Secundus non potuit Provinciam Proconſul anno à geſto Conſulatu ſortiri: expectan-

dum enim erat quinquennium. Sed neque Bithyniam Proconsul rexit Plinius, neque Bithynia Provincia fuit Populi Romani, sed Cæsaris. Provinciam Cæsaris fuisse, tunc saltem, Bithyniam constat ex his Trajani verbis Epistolâ Amœbæarum x. *Quo autem die pervenisses in Bithyniam, cognovi, Secunde charissime, literis tuis. Provinciales (credo) prospectum sibi à me intelligent: Nam & tu dabis operam ut manifestum sit illis electum te esse, qui ad eosdem mei loco mittereris.* E quibus verbis liquet in Provinciam Cæsaris, non Populi Romani, missum fuisse Plinium, eumque non sortitum fuisse Provinciam, sed à Cæsare electum; unde etiam sequitur, non fuisse Proconsulem, sed Cæsaris Legatum, sive Proprætore; nam ita appellatos fuisse Cæsaris Legatos, qui in ejus Provincias mittebantur, è Dione loco laudato constat. Fuit igitur Plinius Proprætore,

tore, ſed Conſulari poteſtate, ut teſtatur vetus hæc Inſcriptio, quam ex Appiano & Onufrii Faſtis habet Gruterus pag. CCCCLIV.

C. PLINIVS. C. F. C.N. CAECILIVS. SECVNDVS COS. AVGVR. LEGAT. PRO. PRAET. PROVINC PONTI. CONSVLARI. POTESTATE. IN. EAM PROVINCIAM. AB. IMP. CAESARE. NERVA TRAIANO. AVG. GERMANICO. MISSVS

Vides Plinium Bithyniam adminiſtraſſe Proprætore, non Proconſule. Quanquam fuit olim Bithynia inter Romani Populi Provincias, ut conſtat è Dionis recenſione Lib. laudato. *καὶ ἐνομίσθη ἡ Βιθυνία τοῦ τε δήμου καὶ τῆς γερουσίας εἶναι. Et lege ſancitum eſt ut Bithynia populi & Senatus eſſet.* Sed mutavit, factaque eſt Cæſaris Provincia, idque, ſi quid judico, hoc ipſo tempore, primuſque Plinius Cæſaris Legatus Proprætore in Provinciam Bithyniam miſſus eſt. nam meminit paſſim Plinius Proconſulum, qui ante ſe Provinciam adminiſtraſ-

ſent, Iulii Baſſi, Velii Pauli, Publii Servilii Calvi; ſe verò Proconſulem fuiſſe negat Epiſtolâ Amœbæâ LVIII. *Poſtulantibus quibuſdam ut de agnoſcendis liberis, reſtituendiſque natalibus, & ſecundum epiſtolam Domitiani ſcriptam Minutio Rufo, & ſecundum exempla Proconſulum ipſe cognoſcerem: reſpexi ad Senatuſconſultum pertinens ad eadem genera cauſarum, quod de his tantum Provinciis loquitur, quibus Proconſules præſunt, ideoque rem integram diſtuli, dum tu, Domine, præceperis quid obſervare me velis.* Fuit igitur Plinius non Proconſul, ſed Proprætore, & Legatus Cæſaris in adminiſtranda Provincia Bithynia. Tertium illud, quod peccaſſe Baronium diximus, ex iis, quæ jam ſequentur, patebit. Putat Illuſtris Scaliger ad numerum Euſebianum cIↃ cIↃ CXXIV. Euſebium iſta potius ex conjectura, quam ex hiſtoriæ fide, in annum Trajani decimum contuliſſe: quod an verum ſit,

ſit, exploratum habere nos non poſſe exiſtimat,quia quo tempore, aut quoto anno Vrbis Plinius in Provinciam miſſus ſit nobis non conſtat. Sed quid vetat, cum bono Deo,inquirere paullo exactius? Plinius Secundus poſt geſtum anno Vrbis IↃCCCLIII, qui erat annus tertius vertens imperii Trajani, Conſulatum, à Trajano in Bithyniam,quæ erat Cæſaris Provincia, Proprætore miſſus eſt, ſed Conſulari poteſtate, ut jam diximus. In eam Provinciam venit Plinius xv. Kal. Octob. Liquet ex Amœbæis epiſtolis Plinii ipſius ad Trajanum, quæ collectæ ſunt eo temporis, quo ſcriptæ ſunt, ſervato ordine, ut ex illarum lectione conſtat: quod obſervandum duximus, quia facit maximè ad inveſtigandum illud tempus, quo de Chriſtianis ad Plinium reſcripſit Trajanus. Cæteras epiſtolas ſuas, etiam illas, quæ ad Trajanum

ſcriptæ ſunt Lib. decimo, ſed non Amœbææ, collegit quidem obſervato nullo temporis ordine; at Amœbæas vel ipſe, vel alius quiſquis eſt, collegit ſervaro temporis ordine, ut ipſarum lectio αὐτοβοᾷ. Scribit igitur Plinius de ſuo in Bithyniam ingreſſu, Amœbęarum epiſtolâ IX. *Decimo quinto Kal. Octobres Bithyniam intravi.* & paullo poſt: *Hæc tibi, Domine, in ipſo ingreſſu meo ſcripſi. Quintodecimo Kalend. Octob. Domine, Provinciam intravi.* Anno novo ſequente, III. Nonas Ianuarias, qui Votorum erat dies, in Votorum nuncupatione Provincialibus & militibus præivit Plinius, Epiſtolâ XXV. *Solemnia vota pro incolumitate tua, quâ publica Salus continetur, & ſuſcipimus, Domine, pariter & ſolvimus.* Celebravit ibidem diem VI. Kal. Februarias, à quo exſurgit initium imperii Trajani, Epiſtolâ XLI. *Diem, Domine, quo ſervaſti Imperium, dum ſuſcipis, quanta mereris*

reris lætitia,celebravimus. Hujus anni eſt Epiſtola Plinii, LXXVIII inter Amœbæas, in qua ad Trajanum refert de Chriſtianorum cognitione, itemque Trajani Reſcriptum ad Plinium. Seqnitur alter annus novus, quo, die III. Non. Ianuar. Vota nuncupat, Epiſtolâ LXXXII. *Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres lætique perſolvimus, novaque rurſus, curante commilitonum & Provincialium pietate ſuſcepimus.* Celebratque rurſum hoc anno in Provincia diem VI. Kal. Febr. Epiſtolâ LXXXIV. *Diem in quem tutela generis humani feliciſſima tranſlata eſt ſucceſſione, debita religione celebravimus.* Ex iſtis non video, cur non poſſit aſſignari annus Vrbis, quo eſt in Provinciam miſſus Plinius, ex eoque deprehendi annus quoque,quo de Chriſtianis ad Plinium reſcripſit Trajanus, in eoque Euſebii metachroniſmus unius anni, & Baronii aliorumque pro-

chronismus quadriennii. Verba ista Plinii ex Epistolâ Amœbæa LXXXII. *Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres lætique persolvimus, novaque rursus, curante commilitonum & Provincialium pietate, suscepimus*; non possunt omnino intelligi, nisi de Decennalibus Votis actis, & secundis Decennalibus susceptis: itaque appellat Plinius Decennalia illa Vota acta, *Vota priorum annorum nuncupata*: Decennalia illa Vota acta sunt decimo, unde illis nomen, anno Trajani, qui Coss. habuit ordinarios C. Sosium Senecionem IV., & L. Licinium Suram III. Eratque annus Vrbis IↃCCCLX. Annus qui proximè præcessit, est nonus imperii Trajani, Vrbis vero IↃCCCLIX; qui habuit L. Ceionium L. F. Commodum Verum, & L. Tutium Cerealem Coss. Eo anno nono Trajani Plinius retulit ad Trajanum de Christianorum cognitione, ut con-

conſtat ex illa Epiſtola, de qua & ejus ordine jam à nobis eſt dictum. In Bithyniam vero ingreſſus fuerat xv. Kal. Octobr. anni præcedentis, qui erat annus Vrbis IↃCCCLVIII, imperii vero Trajani octavus, habebatque Coſſ. ordinarios T. Iulium Candidum II. & A. Iulium Quadratum. Anno igitur imperii ſui nono ad Plinium de Chriſtianis reſcripſit Trajanus, non qui à Chriſtianis pœnam dimoveret, ſed ex parte Legem Neronis, de qua jam à nobis dictum eſt, fruſtraretur; non vult enim Chriſtianos inquiri, ut innocentes, & tamen oblatos mandat ex illa Neronis Lege puniri, quaſi nocentes, nec vetat offerri.

Quartum Edictum eſt Adriani Imperatoris, qui tam bene erga Chriſtianos affectus fuit, ut non tantum vetuerit inquiri Chriſtianos, ſed etiam oblatos, nullius criminis reos, tantum quod Chriſtiani,

ni, puniri noluerit. Conſtat ex Epiſtola illius, quam deſcripſit Iuſtinus Martyr Apologiâ II. extremâ, & ex eo Euſebius Hiſtoriæ Lib. IV. ἔτι δὲ ὁ αὐτὸς ἱστορεῖ δεξάμενον τὸν Ἀδριανὸν παρὰ Σερεννίου Γρανιανοῦ λαμπροτάτου ἡγουμένου γράμματα ὑπὲρ Χριστιανῶν, περιέχοντα ὡς οὐ δίκαιον εἴη ἐπὶ μηδενὶ ἐγκλήματι, βοαῖς δήμου χαριζομένους ἀκρίτως κτείνειν αὐτοὺς, ἀντιγράψαι Μινουκίῳ Φουνδάνῳ ἀνθυπάτῳ τῆς Ἀσίας, προστάττοντα μηδένα κτείνειν ἄνευ ἐγκλήματος καὶ εὐλόγου κατηγορίας. *Eſt præterea apud eundem authorem, Adrianum à Serennio Graniano præfecto illuſtriſſimo, literas pro Chriſtianis accepiſſe, quæ iſtam complectebantur ſententiam: Sibi iniquum videri Chriſtianos, nullo objecto crimine, indictaque cauſa, quò populi clamoribus ſatisfiat, neci dare, atque Adrianum deinde Minucio Fundano Aſiæ Proconſuli reſcripſiſſe; præcepiſſeque ut neminem Chriſtianum abſque juſto crimine intentato, & accuſatione rectè veréque*

ad

ad ipſum delata, morte mulctaret. Verba Epiſtolæ, quæ ad rem faciant, hæc ſunt: *εἴτις κατηγορεῖ καὶ δείκνυσι παρὰ τοὺς νόμους πράττοντας τοὺς Χριστιανοὺς, οὕτως ὅριζε κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἁμαρτήματος, ὡς μὰ τὸν Ἡρακλέα εἴτις συκοφαντίας χάριν τοῦτο προτείνοι, διαλάμβανε ὑπὲρ τῆς δεινότητος, καὶ φρόντιζε ὅπως ἂν ἐκδικήσειας. Si à quoquam Chriſtiani homines in judicium vocentur, oſtendaturq́; aliquid contra leges deſignaſſe, tu ita prout criminis ratio & modus poſtulat decidas ſtatuaſque. At mehercule ſi quiſpiam quò eos calumnietur iſtud tentaverit, tu ejuſmodi hominem pro nequitia & crudelitate ſevere coarguito, atque adeò ſedulo proſpicito ut debitas pœnas luat.* Refert hoc Adriani Reſcriptum ad Minucium Fundanum Aſiæ Proconſulem Euſebius in annum decimum Adriani, his verbis, vertente Hieronymo. *Quadratus diſcipulus Apoſtolorum, & Ariſtides Athenienſis noſter Philoſophus libros*

bros pro Christiana religione Adriano dedere compositos, & Serenus Grannius Legatus vir apprime nobilis literas ad Imperatorem misit, iniquum esse dicens clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine, nominis tantum & secta reos fieri. Quibus commotus Adrianus Minucio Fundano Proconsuli Asiæ scribit, non sine objectu criminum Christianos condemnandos, cujus Epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum. Quin etiam Adrianum cogitasse in omnibus civitatibus Templa Christo facere, refert Lampridius in Alexandro Severo, hoc uno tantum argumento, quod sine simulacris jusserat fieri: sed fides sit penes auctorem.

CAPUT V.

Quintum & sextum Edictum recensentur. Sævitum à Divis Fratribus in Christianos. Athenagoræ locus correctus. à Marco propositum Edictum, & quando.

QVum Antonini Pii temporibus, in Asia movisset terra, & Christianos ad pœnas deposceret pro more imperitum vulgus, illorum insaniam Edicto castigavit Pius, idemque juris Christianis indulsit, quod paullo ante concesserat is, quem in imperio excepit, Adrianus, ut testatur Melito Sardensis in Apologia, affertque exemplum Epistolæ illius, ab eoque habet Eusebius Hist. Lib. IV. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖνος Σεβαστὸς, Ἀρμένιος, Ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον καὶ δέκατον, ὕπατος τὸ τρίτον, τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας χαίρειν. ὑπὲρ

τῶν

τῶν Χριστιανῶν, ἤδη καὶ πολλοὶ τῶν περὶ τὰς ἐπαρχίας ἡγεμόνων καὶ τῷ θειοτάτῳ ἡμῶν ἔγραψαν πατέρι, οἷς καὶ ἀντέγραψε μηδὲν ἐνοχλεῖν τοῖς τοιούτοις, εἰ μὴ φαίνοιντό τι περὶ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν ἐγχειροῦντες. καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν, οἷς δὴ καὶ ἀντέγραψα κατακολουθῶν τῇ τοῦ πατρὸς γνώμῃ. εἰ δέ τις ἐπιμένοι τινὰ τῶν τοιούτων εἰς πράγματα φέρων ὡς δὴ τοιοῦτον, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τοῦ ἐγκλήματος, καὶ ἐὰν φαίνηται τοιοῦτος ὤν, ὁ δὲ καταφέρων ἔνοχος ἔσται δίκης. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus, Augustus, Armenius, Pontifex Maximus, Tribun. Potest.* XV. *Cos. III. communi concilio Asiæ S. De Christianis multi qui nostris præfuere provinciis, jam ante divinissimo sanctissimoque nostro Patri literas scripserunt. Ad quos quidem ille rescripsit, nihil ejusmodi viris negotii esse facessendum, nisi forte aliquid maleficii contra Romanum Imperium designare moliantur. Ad me etiam eorum causa scri-*

ſcripſere multi, quibus per literas, Patris mei ſententiæ & voluntati aſſentiens, reſponſum dedi. Quod ſi quiſpiam igitur cuiquam Chriſtiano, quia Chriſtianus ſit, pergat moleſtiæ quicquam aut criminis inferre; ille cui crimen illatum fuerit, etiamſi reipſa Chriſtianus deprehenſus ſit, abſolvatur; qui autem illum accuſaverit, juſtum debitumque ſupplicium ſubeat. Annum, quo propoſitum eſt hoc Edictum, προετέθη ἐν Ἐφέσῳ ἐν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας. *propoſitum eſt Epheſi, in communi Aſiæ concilio*, ut loquitur ibidem Euſebius, inveſtigare, difficilis non eſt operæ, quia adſcribitur quotiens Tribunitiam acceperit poteſtatem Antoninus Pius. Accepit autem paullo autequam imperaret: unde numerus Tribunitiæ Poteſtatis paria facit cum numero annorum imperii illius. Propoſuit igitur hoc Edictum Pius anno ſui imperii quintodecimo. Quare reſcribendum eſt, ὕπατος τὸ τέταρτον,

τατρ]ον, quomodo optimè editur apud Iuſtinum, non quod tunc quartum Conſul eſſet, ſive quartum gereret Conſulatum, ſed quia quater jam ante Conſul fuerat. Ex eodem quoque Iuſtino, cùm Edictum hoc à Pio propoſitum ſit; ſive potius ex Iuſtini codice, nam Iuſtinus non eſt qui adſcripſit, conſtat reſcribendum eſſe in Inſcriptione: Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Τίτος Αἴλιος, Ἀδριανὸς Ἀντωνῖνος Σεβαστὸς, Εὐσεβὴς, *Imperator Cæſar Titus Ælius, Adrianus Antoninus Auguſtus, Pius.*

Marcus Antoninus Philoſophus, dum frater Lucius res Italas adverſus Parthos tutabatur, Rempublicam ipſe Legibus ornabat, ita tamen, ut *jus magis vetus reſtitueret*, inquit Capitolinus, *quam novum faceret.* Inter cæteras autem Leges nullus dubito reſtituiſſe Marcum illam Trajani de Chriſtianis in Reſcripto ad Plinium: Qua Lege videtur Trajanus Chriſtianos eximere

mere à maleficorum hominum numero, & nolle inquiri, quia neque perfidi, neque adulteri, neque ſacrilegi, neque homicidæ eſſent, tamen damnare illorum fidem religionemque, atque in ea pervicaciam, ut loquitur Plinius, ſive potius perſeverantiam. Ex hoc Trajani Reſcripto, cùm redeunte Lucio, ut de Parthis cum fratre Marco, anno imperii illorum ſeptimo, triumpharet, peſtem ſecum detuliſſe viſus eſſet, Chriſtiani Magiſtratibus ſunt oblati, & vulgus illos ad leones: nec ulla illis alia damnationis cauſa præter Chriſtianam fidem, quam Trajanus ſuo Reſcripto & damnabat,& ibat punitum: Huc facit & pertinet Athenagoræ locus ex Apologia, quam ad Divos fratres ſcripſiſſe alibi probamus: εἰ δὲ λογοποιΐαι ταῦτα καὶ διαβολαὶ κεναὶ, φυσικῷ λόγῳ πρὸς τὴν ἀρετὴν τῆς κακίας ἀντικειμένης, καὶ πολεμούντων ἀλλήλοις τῶν ἐναντίων θείῳ

 νόμῳ,

νόμῳ, καὶ τῷ μηδὲν τούτων ἀδικεῖν, ὑμεῖς μάρτυρες, κελεύοντες μὴ ὁμονοεῖν. Si verò commenta improborum hominum & inanes calumniæ hæ ſunt, (cùm ita natura comparatum ſit ut malitia ſe opponat virtuti, & divina quadam lege, quæ inter ſe contraria ſunt, depugnent,) & nihil injuſtè à nobis committi, vos ipſi teſtes nobis eſſe locupletiſſimi poſſitis, &c. Hæc poſtrema verba de mendo ſuſpecta, idque merito, habuit vir maximus Geſnerus, itaque in interpretatione ſua omiſit. Quanqaam ea mallet præcedente verſu legere poſt θείῳ νόμῳ, ſed κελεύοντι, non κελεύοντες: Locus eſt eximius, qui meretur à nobis, Deo bene adjuvante, exponi. Tria Chriſtianis vulgo objiciebantur crimina, ἀθεότης, humanis veſci carnibus, & inceſti concubitus. De duobus poſterioribus agit hoc loco, & probat, vel ipſorum Imperatorum auctoritate, Chriſtianos horum criminum non eſſe conſcios :

ſcios: εἰ δὲ λογοποιΐαι ταῦτα, καὶ διαβολαὶ κεναὶ, (cœtera quæ ſequuntur parentheſi ſunt includenda) καὶ τοῦ μηδὲν τούτων ἀδικεῖν ὑμεῖς μάρτυρες, κελεύοντες μὴ ὁμονοεῖν. Poſtremum verbum miſerè corruptum denſiſſimas cœteris tenebras offudit, fecitque ut non intelligerentur. Sed reſcribendum eſt: καὶ τοῦ μηδὲν τούτων ἀδικεῖν, ὑμεῖς μάρτυρες, κελεύοντες μόνον μὴ νοεῖν. *Et in nullo iſtorum à nobis peccari, vos ipſi teſtes ſitis, jubentes ſolum ne credamus.* Dixit νοεῖν de religione & fide Chriſtiana, ut alibi, ἐφ' ἡμῖν δὲ κεῖται νέμον οἱ ἔχομεν ὃ, ᾗ καὶ νοοῦμεν καὶ πεπιστεύκαμεν, & alibi fidem appellat voce ſynonyma προαίρεσιν. Senſus autem verborum Athenagoræ hic eſt: Falſo Chriſtianis objici infanticidiorum deguſtationem, inceſtorumque contenebrationem, & nos horum criminum plane eſſe innocentes, vos ipſi, ô Imperatores, teſtes locupletiſſimi & omni exceptione

majores eſtis, qui Legibus veſtris caviſtis tantum non credere, & Chriſtianum eſſe. Sed exempto rebus humanis Lucio, cùm Chriſtiani egregiam in bello adverſus Germanos & Sarmatas operam precibus ſuis Marco præſtitiſſent, qua victoriam reportaverat Marcus & nomen ſibi pepererat Germanici atque Sarmatici, memor tanti beneficii Imperator veterem illam Neronis à Trajano interpolatam Legem in Chriſtianos, qua potuit, fruſtratus eſt: Chriſtianos enim noluit deferri & accuſari impune, ſanxit itaque tetriorem capitis pœnam in Chriſtianorum accuſatores. Tertullianus Apologetico. *Cæterum de tot exinde Principibus ad hodiernum, divinum, humanumque ſapientibus edite aliquem debellatorem Chriſtianorum. At nos contrariò edimus protectorem; ſi literæ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur, quibus Germanicam illam*

ſitim

sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut non palam ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. Edictum, quo Christiani accusati & denotati apud judices, & in fide perseverantes, pœnis veteri Neronis Lege sancitis eximerentur, nullum fuit à Marco propositum, sed pœna capitalis in accusatores constituta. Eusebius Lib. v. cap. v. τοῦτον, Marcum, δέ φησι, Tertullianus, καὶ θάνατον ἀπειλῆσαι τοῖς κατηγορεῖν ἡμῶν (Χριστιανῶν) ἐπιχειροῦσιν. *Hunc etiam mortem esse comminatum iis qui nos accusare aggressi essent.* Atque ita qui Christianum detulerat, accusaveratque, non impune ferebat, nec minus quam Christianus denotatus, & in fide perseverans, capite luebat, idque tetriore pœna; nam accusatori infligebatur crurifragium. Vides

in historia Apollonii Martyris apud Eusebium Lib. v. cap. xxi. imperante enim Commodo, ex hoc Marci Edicto accusatori Apollonii inflictum est crurifragium. ἀλλὰ ὁ μὲν δείλαιος παρὰ καιρὸν τὴν δίκην εἰσελθὼν, ὅτι μὴ ζῆν ἐξὸν ἦν κατὰ βασιλικὸν ὅρον τοὺς τῶν τοιῶν δὲ μηνύτας, αὐτίκα κατάγνυται τὰ σκέλη, περεννίου δικαστοῦ τοιαύτην κατ' αὐτοῦ ψῆφον ἀπενέγκαντος. *Cæterum huic misero & perdito intempestivè in judicium ad Christianum accusandum ingredienti, actutum (quoniam Imperatoris edicto jussum erat ut Christianorum accusatores neci darentur (crura suffringebantur, Perennio judice contra eum talem sententiam pronunciante.* Bonus vero Apollonius in fide perseverans ex veteri illa Neronis Lege pœnas, quas à Christianis non dimoverat Marcus hoc suo Edicto, sed dispersierat, dedit. Sed de Edicto ipso multa jam satis, de Edicti propositi tempore inquiramus, cum bono Deo.

Deo. Annus aſſignatur ab Euſebio in Chronicis tertius decimus Marci. *Imperator Antoninus multis adverſum ſe naſcentibus bellis ſæpe ipſe intererat, ſæpe duces nobiliſſimos deſtinabat, in quibus ſemet, Pertinaci & exercitu qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, ſiti oppreſſo pluvia divinitus miſſa eſt, cùm è contrario Germanos & Sarmatas fulmina perſequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant literæ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbri diſcuſſam conteſtatur.* Ad quæ verba maximus Scaliger adnotat: *Quo tempore hæc geſta ſint, hocne ipſo, quod aſſignatur ab Euſebio, an alio, ut dubitem facit Dio apud Xiphilinum, qui refert hoc bello patrato M. Aurelium Imperatorem ſeptimum appellatum, Fauſtinam vero Matrem caſtrorum. Sed difficile eſt ex his colligere tempus hujus geſti, cùm veteres & Inſcriptiones & Nummi*

 nihil

nihil nos juvent: nam in Nummis in tertio Consulatu VI. VII. VIII. IX. X, *IMPERATOR vocatur*. Hactenus Vir Illustris. Sed facile, cum Deo, annum deprehendemus. Constat è Dione eo bello Marcum Imperatorem septimum fuisse appellatum; παρὰ γὰρ τῶν στρατιωτῶν τὸ ἕβδομον Αὐτοκράτωρ προσηγορεύθη. Iam vero hic titulus Imperatoris septimum, non primùm illi adscribitur, quàm eo anno quo erat Tribunitiæ Potestatis vicesimum octavum: id videre est in Nummis, qui ita habent: M. ANTONINUS. AUG. TR. P. XXVIII. COS. III. IMP. VII. Atqui si annorum numerum ineas ab eo quo Tribunitiam Potestatem accepit imperante patre Antonino Pio, deprehendere est annum imperii Marci fuisse quartum decimum, quando ille ipse Marcus erat Tribunitiæ Potestatis XXVIII. Ergo est annus Marci quartusdecimus:

&

& peccat Eusebius unius anni prochronismo. Sed ingruit turbo, qui nostræ navi frangat ratem: Nam, inquit Incomparabilis Heros: in Nummis in tertio Consulatu VI, VII, VIII, IX, X, Imperator vocatur Marcus, addo etiam I, II. Sed per hanc tempestatem facile ero in portu. Ne nobis imponat auctoritate sua Vir Illustris, tantum cautio est. Nam non semper III. Cos. est tertiùm Consul, qui tertium gerit Consulatum: Est aliquando cùm significat, qui ter Consul fuit, ut in his exemplis. Vbi enim Marcus inscribitur Cos. III. IMP. VI, VII, VIII, &c. non significatur annus, quo tertium Consulatum gessit, qui erat annus primus imperii illius, sed significatur, Marcum, qui ter Consul fuit, toties VI, VII, VIII, &c. Imperatorem ab exercitu salutatum fuisse.

CAPUT VI.

Septimum & octavum Edictum proponuntur. Tertulliani locus emendatur. Lex III. D. de Decurionibus illustrata. quæsitum de tempore quo scripta est.

O*Mnium rerum semper quasi naturali Lege mutatio est*, inquit Spartianus in Severo, sed de eo non miratur Ecclesia, quæ cùm sciat se peregrinam in terris agere, nec illud ignorat, inter extraneos facile inimicos inveniri: Id ea experta est, imperante Severo: Nam primùm longam & bonam pacem Christianis fuisse constat è Tertulliano, utut aliquoties molestia illis religionis ergo crearetur, quemadmodum factum legimus circa initia imperii Severi collusori puero Caracallæ. *Septennis puer*, inquit Spartianus de Caracalla, *cùm collusorem suum puerum, ob Iudaïcam religionem*

gionem gravius verberatum audiſſet, neque patrem ſuum neque patrem pueri vel auctores verberum diu reſpexit. Iudaïcam religionem appellat Spartianus proculdubio, quæ Chriſtiana eſt, nam Caracallam *lacte Chriſtiano educatum fuiſſe* docet Tertullianus ad Scapulam. Sed anno demum Severi decimo ab illo in Chriſtianos ſævitum eſt, ut Euſebius Lib. VI. cap. VI. & Hiſtoricorum chorus ſcribunt; *& Iudæos fieri ſub gravi pœna vetuit, idem etiam de Chriſtianis ſanxit*, inquit Spartianus in ejus vita. Animum poſt illa in melius mutaſſe conſtat, memoremque Chriſtianorum fuiſſe, & eos non tantum non læſiſſe, ſed etiam teſtimonio exornaſſe referunt. Habes apud Tertullianum Lib. ad Scapulam, cap. IV, *Ipſe etiam Severus pater Antonini, Chriſtianorum memor fuit: Nam & Proculum Chriſtianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodeæ procuratorem, qui eum per*

oleum

oleum aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit usque ad mortem ejus: quem & Antoninus optimè noverat, lacte Christiano educatus. Sed & clarissimas feminas & clarissimos viros Severus sciens hujus secta esse, non modo non læsit, verum & testimonio exornavit, & populo furenti in os palam restitit. Putant Viri Cl. hunc Proculum Christianum eum esse, cujus meminit Capitolinus in Marco, & Eutychium Græcè idem esse Afris *Tobracon* sive *Topracon*, quomodo rescribi volunt apud Tertullianum: *Euhodiæ* autem *procuratorem* interpretantur τῆς εὐοδίας διοικητὴν, quod Itinerarii in orbe Romano Rationarius esset ab Imperatore Marco constitutus, ut honestam functionem sine invidia & incommodo periculoque obtineret. Quapropter etiam Capitolinus factum affirmat fuisse Proconsulem, videlicet honorarium itineris curandi causa. Sed ista ab eruditis viris nul-

lo

lo auctore asseruntur. Non negamus Procuratores aliquando appellari Provinciarum præsides, sed Itinerarii Rationarium & Procuratorem appellari Proconsulem, nobis plane novum, & hactenus non lectum, non auditum fuerat. Appellatur igitur isteProculus Euhodiæ Procurator, quia Euhodiæ feminæ notæ satis illo seculo res procurabat & administrabat; tantum abest, ut sit Proculus ille Marci in Grammaticis præceptor, quem in tantum gratus Imperator dilexit,ut usque ad Proconsulatum provexerit oneribus in se receptis. *Euhodiæ* nomen mulieris esse constat ex hac Inscriptione, quæ Romæ visitur in monte Caballo, & apud Gruterum Thesauri Inscriptionum pag. IↃCCLXXXIX legitur:

D. M.
HERMES
EVHODIAE. CONIVGI.
SVAE
BENE MERENTI.

Et

Et forte *Euhodia* ista Tertulliani erat filia Euhodi, Imperatoris Severi liberti, qui fuit τροφεὺς, ut appellat Dio, Antonini filii Severi. Libertum autem Euhodiæ Proculum hunc fuisse nullus dubito, & ab Euhodia patrona rebus suis administrandis & procurandis admotum: Qui, ut puto, dum servitutem serviebat, alipilarii munus implebat, unde ei cognomen Dropacion; ita enim nobis rescribendum videtur apud Tertullianum: Nam in veteri Lexico, *alipilarius* est δρωπακιστὴς. Lævabant enim unguento dropace. Sed ad rem. Vtrum Christianis Severus ipse Edicto caverit, nec ne, nobis liquido non constat. Sulpicius Severus Historiæ Sacræ Lib. II. videtur asserere ab Antonino Caracalla in Christianorum gratiam Edictum esse propositum, non à D. Severo patre illius; ubi enim recensuit Sulpicius, vexatos fuis-

fuisse Christianos, imperante Severo, addit, *Interjectis deinde annis octo & triginta, pax Christianis fuit, nisi quod medio tempore, Maximinus nonnullarum Ecclesiarum Clericos vexavit:* Ab anno primo Antonini Caracallæ ad annum primum Decii, qui eo anno in Christianos sæviit, numerat Eusebius annos quadraginta: sed si quis paullo attentius excutiat tempora initi ab Imperaroribus, qui medii inter Antoninum Caracallam & Decium fuerunt, imperii, & exutæ mortalitatis, Sulpicium rectè calculum posuisse non invitus concedet. Est ergo à Caracalla propositum Edictum anno imperii primo, quo Edicto Christianis cavebat de vita, ne illis molestia & lites crearentur ob fidem Christianam. Sed forte posset aliquis jure merito suspicari, extremis vitæ Severi diebus ab utroque Augusto Severo & Antonino gratiam propositi hujus Edicti

ctiChristianis fuisse factam: quemadmodum & ab illis cautum est Iudaïcæ superstitionis cultoribus, ut habes Leg. III. §. III. *D. de Decurionibus.* ex Vlpiani Lib. III. *de Officio Proconsulis. Eis qui Iudaïcam superstitionem sequuntur, Divi Severus & Antoninus honores adipisci permiserunt: sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non læderent.* Viri eruditi rescriptum volunt, Divi Verus & Antoninus: sed reclamat Cl. Antonius Augustinus, ut audio, quibus autem rationibus nitatur videre non contigit: nobis enim nondum licuit esse tam beatis, ut venerit in manus nostras Liber illius singularis ad Modestinum: Nomine autem *superstitionis Iudaïcæ* volunt intelligi religionem Christianam, sed malè. Si namque intelligantur Divi fratres auctores hujus Legis, omnino falsum id est: Neque enim unquam Christianis, dum in vivis fuit L. Verus, tam

tam benè consultum fuit, ut tutò esse possent, nedum præesse. Si verò intelligantur Marcus pater & Commodus filius, primum illud sine exemplo, Marcum & Commodum dici *Divos Verum & Antoninum*, idque præpostero ordine, præposito patri filio; deinde verum non est, Divos illos Christianis honores adipisci permisisse; hoc unum illis indulsit Marcus, ut superiori capite diximus, ne deferrentur & accusarentur impunè. Quod si quis *Iudaïcam superstitionem* interpretetur, ut verba sonant & intelligi debent, non ille quoque assensum à nobis merebitur, qui scimus Marcum, vel ipso teste, nunquam honorem habuisse patris sui exemplo superstitionibus. Et certè non est temerè sollicitanda antiqua Legis hujus scriptura & lectio: Nàm Iudæos dilectos plurimum fuisse ab Imperatoribus Severo & Antonino, constat ex his Hierò-

nymi ad Danielis verba è cap. XI. *Cùmque corruerint ſublevabuntur auxilio parvulo. Hebræorum quidam*, inquit Hieronymus, *hæc de Severo & Antonino Principibus intelligunt, qui Iudæos plurimum dilexerunt.* Sed quando id factum? mulctatos à Severo fuiſſe Palæſtinos è Spartiano liquet, quòd pro Nigro diu in armis fuerant; idem quoque teſtatur Severum Palæſtinis pœnam remiſiſſe, quam ob cauſam Nigri meruerant: idque illis indultum videtur, antequam Severus ad bellum Parthicum proficiſceretur, forte anno imperii ſeptimo: Pœna autem illis inflicta hæc fuerat, excidiſſe civitatis Romanæ jure: jus igitur illud iis reſtituit, pœnamque remiſit. At quæſtionis eſt, an Palæſtinorum nomine intelligantur Iudæi, nec ne: Ac forte tutius eſt negare; diſtinguit enim hâc ipſâ vitâ Spartianus. *In itinere Palæſtinis plurima jura fundavit. Iudæos fieri*

fieri ſub gravi pœna vetuit : Idem etiam de Chriſtianis ſanxit. Præterea, ubi de pœna inflictaPalæſtinis agitur, Neapolitanorum Palæſtinenſium tantùm meminit Spartianus. Quod ad Iudæos attinet, anno Severi nono bello fuiſſe vexatos conſtat; unde Antonino Senatus Iudaïcum triumphum decreverat: Quumque Romam rediret, anno imperii ſui decimo, Coſſ. ipſo Severo III. & Antonino Auguſto, *in itinere Iudæos & Chriſtianos fieri ſub gravi pœna vetuit.* Sed animum videtur in Iudæos mutaſſe Severus, & quantum oderat prius, tantum fortaſſe poſtea dilexiſſe. Quare ſuſpicamur Iudæis Edicto caviſſe, & quemadmodum conjunctim & in Iudæos & in Chriſtianos ſævierat, ita Edictis caviſſe rurſum & Iudæis & Chriſtianis, ut liceret illis eſſe & fieri, Iudæis quoque honores adipiſci, ut conſtat ex hac Lege: Edictaque iſta, ut puto, extremis

vitæ Severi diebus, in Iudæorum & Christianorum gratiam proposita sunt à Severo & Antonino, vel certè ab Antonino primis imperii sui diebus, tanquam è parentis jussu; itaque nomen cum Severi tum Antonini prætulerunt.

Pacem Christianis fuisse, à Severi temporibus ad Decium, annorum octo & triginta, excepto medio illo Maximini, qui Ecclesiarum Clericos vexavit, tempore, referebamus paullo ante è Sulpicio Severo: sed eam magis ac magis firmavit Imperator optimus Alexander Severus, qui Christum in larario suo coluit: & Edicto Christianos fieri permisit. Lampridius in ejus vita: *Iudæis privilegia reservavit, Christianos esse passus est.* Quin & Rescripto loca publica, quò convenirent, illis concessit. Lamprid. *Quum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi,*

beri, rescripsit, melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur. Observatque Euseb. Lib. VI. fuisse τ῀ Ἀλεξάνδρȣ οἶκον ἐκ πλειόνων πιςῶν συνεςῶτα, *Alexandri domum è multis Christianis compositam.*

CAPUT VII.

Nonum, decimum, & undecimum Edictum proponuntur. Eusebius notatus & emendatus.

VAlerianus Augustus, cùm Rescriptum dedisset ad Senatum de persecutione in Christianos facienda, cujus Kaput habes in Cypriani Epistola ad Successum, à Sapore Persarum Rege in servitutem abductus est: Eo autem abducto Gallienus filius imperii particeps tempestatem adversus Christianos motam sedavit, potestate facta illorum Doctoribus & Episcopis munus suum fungendi, eosque in integrum restituit, & in pos-

ſeſſionem Eccleſiarum & cœmeteriorum, unde vi dejecti fuerant, miſit. Euſeb. Lib. VII. ἀλλ' οὐκ εἰς μακρὸν δουλείαν τὴν παρὰ βαρβάροις ὑπομείναντος Οὐαλλεριανοῦ, μοναρχήσας ὁ παῖς, σωφρονέστερον τὴν ἀρχὴν διατίθεται, ἀνίησί τε αὐτίκα διὰ προγραμμάτων τὸν καθ' ἡμῶν διωγμὸν, ἐπ' ἐλευθερίας τοῖς τοῦ λόγου προεστῶσι τὰ ἐξ ἔθους ἐπιτελεῖν δι' ἀντιγραφῆς προστάξας, ἥτις τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον.

Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Πούπλιος Λικίννιος Γαλλιῆνος, εὐσεβὴς, εὐτυχὴς, Σεβαστὸς, Διονυσίῳ, καὶ Πιννᾷ καὶ Δημητρίῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς Ἐπισκόποις. Τὴν εὐεργεσίαν τῆς ἐμῆς δωρεᾶς διὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἐκβιβασθῆναι προσέταξα, ὅπως ἀπὸ τῶν τόπων τῶν θρησκευσίμων ἀποχωρήσωσι· καὶ διὰ τοῦτο καὶ ὑμεῖς τῆς ἀντιγραφῆς τῆς ἐμῆς τῷ τύπῳ χρῆσθαι δύνασθε, ὥστε μηδένα ὑμῖν ἐνοχλεῖν. καὶ τοῦτο ὅπερ κατὰ τὸ ἐξὸν δύναται ὑφ' ὑμῖν ἀναπληροῦσθαι, ἤδη πρὸ πολλοῦ ὑπ' ἐμοῦ συγκεχώρηται. καὶ διὰ τοῦτο Αὐρήλιος Κυρήνιος ὁ τοῦ μεγίστου πράγματος

προς-

προσταγμάτων, τὸν τύπον τὸν ὑπ' ἐμοῦ δοθέντα διαφυλάξει. *Non diu autem poſt, cùm Valerianus apud Barbaros ſerviret, filius ejus ſolus Imperio potitus moderatius ſe geſſit in Imperio gubernando; & edictis promulgatis perſecutionem adverſus nos inſtitutam ceſſare fecit: atque adeò verbi Dei Antiſtites, quod ipſis in more poſitum fuiſſet, liberè exſequi per literas mandavit; quæ quidem ſic ſe habent: Imperator Cæſar Publius Licinius Galienus, Pius, Fortunatus, Auguſtus, Dionyſio, & Pinnæ, & Demetrio, & cæteris Epiſcopis ſalutem. Meæ munificentiæ beneficium per univerſum orbem divulgari præcepi, ut qui loca illa religioſa quæ ſunt Chriſtianorum poſſident, ex iis ſtatim diſcedant. Et propterea vos mearum literarum exemplari uti poteritis, quo nemo deinceps vobis quicquam faceſſat moleſtiæ. Atque iſtud quod liberè nunc vobis impleri permittitur, jam pridem à me erat conceſſum. His de cauſis Aurelius Cyrenius, qui ſummam rerum ſecundum me*

administrat, literarum etiam exemplar conservabit.

Καὶ ἄλλη δὲ τοῦ αὐτοῦ διάταξις φέρεται, ἣν πρὸς ἑτέρους Ἐπισκόπους πεποίηται, τὰ τῶν καλουμένων κοιμητηρίων ἀπολαμβάνειν ἐπιτρέπων χωρία. *Aliud porro illius decretum esse fertur, quod ad alios Episcopos dedit; per quod loca quæ Cœmeteria vocant, occupandi potestatem fecit.* Confert autem ista Eusebius in annum imperii Valeriani sextum. *Valeriano in Persas ducto, Gallienus nostris pacem reddidit.*

Hanc Ecclesiæ Christianæ pacem mota ab Aureliano, anno imperii sui quinto, persecutio eripuit: sed redditam illi fuisse nullum est dubium: à quo tamen Imperatore nobis non constat, qui hîc cogimur majorum nostrorum supinitatem, ne quid gravius didam, accusare: non enim ulla nobis ministrant argumenta, vel saltem conjecturas, quibus queamus è tantis tenebris aliquod attollere lumen:

lumen. Sed, ut dixi, pacem Eccleſiæ redditam fuiſſe ante Diocletiani tempora, res ipſa eſt, non noſtra conjectura: Vnde enim Chriſtianis loca, in quibus convenirent, & conveniendi libertas, niſi indulgentiâ priorum Imperatorum? Sed cùm libertas ipſa ademta eſt, tum *menſe Martio in diebus Paſchæ Eccleſiæ ſubverſæ ſunt, decimo nono anno Diocletiani*, inquit Hieronymus in Euſebii Chronicis. Sed primus hanc perſecutionem in Chriſtinanos compeſcuit, quanquam ſimulate, Maxentius: habes apud Euſebium Libr. VIII. Τούτου παῖς Μαξέντιος ὁ τὴν ἐπὶ Ῥώμης τυραννίδα συστησάμενος, ἀρχόμενος μὲν τὴν καθ' ἡμᾶς πίστιν ἐπ' ἀρεσκείᾳ καὶ κολακείᾳ τοῦ δήμου Ῥωμαίων καθυπεκρίνατο· ταύτῃ τε τοῖς ὑπηκόοις τὸν κατὰ Χριστιανῶν ἀνεῖναι προστάττει διωγμόν. *Hujus filius Maxentius, qui Romæ tyrannidem occupare inſtituit, in ipſo Imperii ſui ingreſſu fidem noſtram*

ſe amplecti, quo populo Romano placeret eumque blanditiis & aſſentatione deliniret, callidè ſimulavit. Et ea de cauſa illis qui ejus parebant imperio in mandatis dedit ut perſecutionem contra Chriſtianos remitterent. Vides propoſitum fuiſſe à Maxentio, cùm primùm ad Rempublicam gerendam Imperator accederet, Edictum: annus autem primus Maxentii, Conſtantini Magni quoque primus eſt.

Longè tamen melius aliquot poſt annis conſultum eſt Chriſtianis à Galerio Maximiano & Conſtantino, qui poſtea Magnus eſt appellatus. Nam Chriſtianis ſacra ſuis Legibus facere & Eccleſias ædificare Edicto caverunt. Legitur illud apud Euſebium Libr. VIII: cujus hæc ſunt Kapita, τὴν κατὰ τῶν Χριστιανῶν ἀποπαῦσαι διωγμὸν, νόμῳ τε καὶ δόγματι βασιλικῷ τὰς ἐκκλησίας αὐτῶν οἰκοδομεῖν, ἐπισπέρχειν τε καὶ τὰ συνήθη διαπράττεσθαι,

εὐχὰς

εὐχὰς ὑπὲρ τοῦ βασιλέως ποιουμένους. *Persecutionem contra Christianos sedare, lege & decreto imperatorio eos templa sua ædificare, rem maturare, consueta officia in illis facere, preces pro imperii statu fundere.* Sed investigandus est annus propositi Edicti, qui Constantini Magni quintus est. id liquet ex Inscriptione Principalis hujus sanctionis: Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γαλέριος Μαξιμιανὸς, ἀνίκητος, Σεβαστὸς, ἀρχιερεὺς μέγιστος, Θηβαϊκὸς μέγιστος, Σαρματικὸς μέγιστος, πεντάκις Περσῶν μέγιστος, Γερμανικὸς μέγιστος, Αἰγυπτιακὸς μέγιστος, δὶς Καρπῶν μέγιστος, ἑξάκις Ἀρμενίων μέγιστος, Μήδων μέγιστος, Ἀδιαβηνῶν μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ εἰκοστὸν, Αὐτοκράτωρ ἐννεακαιδέκατον, ὕπατος τὸ ὄγδοον, πατὴρ πατρίδος, ἀνθύπατος. καὶ Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Φλάυιος Οὐαλέριος Κωνσταντῖνος, εὐσεβὴς, εὐτυχὴς, ἀνίκητος, Σεβαστὸς, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας

Αὐτο-

Αὐτοκράτωρ τὸ πέμπτον, ὕπατ⊛, πατὴρ πατρίδ⊛, ἀνθύπατ⊛. *Imperator Cæſar Galerius Maximianus, Invictus, Auguſtus, Pontifex Maximus, Thebaicus Max. Sarmaticus Max. Quinquies Perſarum Max. Germanicus Max. Ægyptiacus Max. Bis Carporum Max. Sexies Armeniorum Max. Medorum Max. Adiabenorum Max. Tribunit. Poteſt.* XX. *Imperator* XIX. *Cos.* VIII. *Pater patriæ, Procos. Et Imperator Cæſar Flavius Valerius Conſtantinus, Pius, Felix, Invictus, Auguſtus, Pontifex Maximus, Tribunit. Poteſt. Imperator* V. *Conſul, Pater patriæ, Proconſul.* Maximianus præſcribitur hîc Tribunitiæ Poteſtatis xx. Conſul VIII. Maximianus autem fuit Tribunitiæ Poteſtatis viceſimum, & Conſul octavum, anno imperii Conſtantini Magni quinto. Vnde luxata hujus Inſcriptionis verba, ubi de Conſtantino agitur, ita ordini ſuo reſtituimus, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον, Αὐτοκράτωρ, ὕπατ⊛. Numerus

merus Tribunitiæ Poteſtatis paria facit cum numero annorum imperii illius : Conſul inſcribitur, non qui eo anno Conſulatum gereret, ſed quia Conſul ſemel jam fuerat, anno ſecundo imperii ſui; hoc vero anno quinto Conſul iterum deſignatus in annum ſequentem. Vir CL. Onufrius hiſtoriæ pater, ita reponendum putabat, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον, Αὐτοκράτωρ τὸ πέμπτον. *Tribunitiæ Poteſtatis* V. *Imperator* V. quaſi concurreret numerus annorum Tribunitiæ Poteſtatis, cum numero appellationis Imperatoris. Quod nobis certum non videtur, neque neceſſum erat; nam toties appellabantur Imperatores, quoties victoriam aliquam reportaverant. itaque in veteri Inſcriptione præſcribitur Conſtantinus TRIBVN. POTESTAT. XXIII IMP. XXII. & Galerius Maximianus in hoc Edicto eſſe dicitur Tribunitiæ Poteſtatis

ſtatis xx. Imperator xix. quoties ſcilicet meruit Thebaïci, Sarmatici, Perſici, Germanici, Ægyptiaci, Carpici, Armeniaci, Medici, Adiabenici, titulos. Quoties igitur appellatus fuiſſet tunc temporis Imperator Conſtantinus nobis non liquet. Diximus autem annum propoſiti Edicti eſſe quintum imperii Conſtantini : quod eſt commodè intelligendum; Nam à Chronologis ſextus numeratur, Conſulesque habet Imperatorem Gal. Maximianum VIII & Imperatorem Licinium. Hoc anno ex a. d. VIII. Kalend. Auguſti deſinebat annus quintus Conſtantini, qui exinde VI annum & Tribunitiam Poteſtatem ſextum inibat. Cùm igitur propoſitum ſit hoc Edictum ab eo Tribunitiæ Poteſtatis V. Maximiano Conſule VIII. ſequitur propoſitum fuiſſe hoc anno antequam iniret Conſtantinus Tribunitiam Poteſtatem VI. Rurſum,

ſum, quum præſcribatur Maximianus Poteſtatis Tribunitiæ viceſimum, & Conſul VIII, ſequitur propoſitum eſſe Edictum intra menſem Ianuarium aut Februarium hujus anni; nam a. d. Kal. Martias Maximianus Tribunitiam Poteſtatem inibat XXI. Quare fallitur Vir CL. Sethus Calviſius, qui vult Edictum propoſitum fuiſſe circa menſem Aprilem. Eodem anno quum Tribunitiam Poteſtatem XXI. iniiſſet Maximianus, & Conſtantinus VI; obiit menſe Septembri Maximianus, ut docent Faſti, paullo poſtquam hoc Edictum propoſuiſſet, ut addit Euſebius: ἀλλ᾽ ὁ μὲν τῆς γραφῆς αἴτιος Μαξιμιανὸς μετὰ τὴν τοιάνδε ὁμολογίαν αὐτίκα καὶ οὐκ εἰς μακρὸν τῶν ἀλγηδόνων ἀπαλλαγεὶς μεταλλάττει τὸν βίον. *Sed ille qui hujus edicti author fuit Maximianus, non longo tempore poſt hujuſmodi confeſſionem habitam è vita migravit, doloribus quibus erat oppreſſus liberatus.*

Ex

Ex his deprehendos Eusebii incogitantiam in Chronicis in assignanda Maximiani morte.

CAPVT VIII.

Duodecimum & tertium decimum Edictum re censentur. de morte Maximini accuratè quæsitum.

ANno sequenti longè propensius in Christianos Edictum proposuerunt Constantinus M. & Licinius Augg. propter partam de Tyranno Maxentio victoriam. Eusebius Lib. IX. Καὶ δὴ ἐπὶ τούτοις αὐτός τε Κωνσταντῖνος καὶ σὺν αὐτῷ βασιλεὺς Λικίννιος, μιᾷ βουλῇ καὶ γνώμῃ, νόμον ὑπὲρ Χριστιανῶν τελειώτατον πληρέστατα διατυποῦνται, καὶ τῶν πεπραγμένων εἰς αὐτοὺς ἐκ θεοῦ τὰ παράδοξα, τά τε τῆς κατὰ τοῦ τυράννου Μαξεντίου νίκης, καὶ τὸν νόμον αὐτὸν, Μαξιμίνῳ διαπέμπονται. *Posthæc Constantinus, & Licinius Imperii cum illo particeps, uno consilio & animorum consensu legem pro*

pro Christianis perfectissimam plenissimè conscribunt, simul quæ erga eos Deus fecerat inopinata, & victoriam de tyranno Maxentio reportatam, & istam legem ad Maximinum mittunt. Legis variaKapita habes apud Eusebium Lib. x. Annus scriptæ hujus Legis est Constantini M. septimus, ipso II.& Licin. II. Coss. cùm iniisset Constantinus M. ex a. d. VIII.Kalend. Augusti Tribunitiam Potestatem septimùm. Scripta autem est, superato jam Maxentio, qui prælio fusus est & periit hoc anno a. d. VIII. Kalend. Octobr. ad pontem Milvium. Hoc Edictum, ad se missum, promulgavit quoque Maximinus, qui Orientem obtinebat, ut habes apud Eusebium.

Sed quum vellet tantùm Constantini gratiam hoc facto promereri Maximinus, paullò post in Christianos sæviit Cæsariano suo gladio, ut constat ex Eusebio. Itaque hinc factum puto, ut Con-

 stan-

stantinus anno imperii sui octavo; ut numerant Chronologi; cum esset Tribunitiæ Potestatis VII. mense Martio; ipso Constantino III. & Licinio III. Coss. hoc Edictum anno superiore propositum denuo cum Licinio sanciverit.

Et Maximinus ipse, quum undique premeretur angustiis, antequam animam efflaret, Christianis de libera religionis professione, Ecclesiarum instauratione, & Ecclesiasticis bonis agrisque, Edicto cavit. Eusebius Libr. IX: *ἔπειτα δὴ δοὺς δόξαν τῷ τῶν Χριστιανῶν θεῷ, νόμον τε τὸν ὑπὲρ ἐλευθερίας αὐτῶν τελειότατα καὶ πληρέστατα διαταξάμενος, δυσθανατήσας αὐτίκα, μηδεμιᾶς αὐτῷ χρόνου δοθείσης προθεσμίας, τελευτᾷ τὸν βίον. Deinde Christianorum Deo gloriam tribuens, legem pro eorum libertate accuratissimè plenissiméque constituit, & extemplò lethali angore excruciatus, absque ulla temporis dilatione è vita decessit.* Edictique exemplar sub-

ſubjungit & addit: *αὗται τοῦ τυράννου φωναὶ, οὐδ᾽ ὅλον ἐνιαυτὸν τῶν κατὰ Χριστιανῶν ἐν στήλαις ἀνατεθειμένων αὐτῷ διαταγμάτων ὑστερίζουσαι. Iſta ſunt ipſius tyranni voces, quas non anno integro poſt edicta contra Chriſtianos columnis ab ipſo propoſita, literis mandandas curavit.* E quibus verbis liquet, ſcriptam hanc Legem, & mortuum eſſe Maximinum eodem menſe, hoc anno Conſtantini octavo, ut numerant, cùm eſſet Conſtantinus Tribunitiæ Poteſtatis ſeptimùm. Nam diſertè adnotat Euſebius, non ipſum annum fuiſſe in vivis Maximinum, ex quo Chriſtianos vexaverat Edicto. Edictum enim illud in Chriſtianos propoſitum eſt à Maximino, vel paullo poſt quam Conſtantinus & Licinius Chriſtianis Edicto conſuluerunt anno ſuperiore, vel hoc ipſo anno nono. Quare peccat Euſebius in Chronicis aliquot annorum prochroniſmo, in referenda

Maximini morte, miraſque dat turbas in recenſendis illius rebus geſtis in Hiſtoria Eccleſiaſtica: quem ſecutus Baronius præter hæc peccat, quod Maximinum mortuum ſcribat anno Conſtantini M. nono: quum tamen menſe Iunio, anno Conſtantini, ut numerant, octavo, paullo antequam Tribunitiam Poteſtatem octavùm iniret Conſtantinus, mortuus ſit Maximinus.

CAPUT IX.

Concluſio hujus noſtræ Diatribæ.

HActenus à nobis recenſita ſunt Principum Edicta in Chriſtianorum gratiam propoſita, quæ non poterant non rata & ſancta eſſe, etiam apud ſævientes Principes: nam *beneficia priorum Principum firmare inſequentes ſimul imperium cepiſſent, ſolebant*, inquit Aurelius Victor in Nerva. At verò ubi

ea inſuper habita ſunt, & contrariis excitata perſecutionis flamma eſt, eane propter à Chriſtianis ad arma itum eſt, quibus jus ſuum tot Edictis quæſitum ſibi aſſererent & vindicarent? Non certè: idque non, quia bello non eſſent apti; nam Imperatoribus militabant, & libenter trucidabantur: non, quia eſſent impares copiis, nam omnia implebant, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum: ſed quia dictum ſibi à Deo meminerant, *in omni obſequio eſſe oportere ſubditos Magiſtratibus, & principibus, & poteſtatibus.* Rom. XIII. At fortè inquies, deerant Duces: Nihil minus. Quot enim Caſſii, quot Nigri, quot Albini, quot alii multi ſceleſtiſſimi parricidæ, qui tam libenter de novo Cæſare optabant, Chriſtianos ſuarum eſſe partium, vel magno redemiſſent? Chriſtiani verò contra,

si fuit bellum, partes suas passi non sunt desiderari à Principibus, nec vel morte ipsâ ab hoc sano proposito flecti potuerunt. Vide quæ referuntur ab Eusebio in Chronicis, imperante Adriano: *Cochebas dux Iudaïcæ factionis nolentes sibi Christianos adversus Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus necat.* Hæc nimirum erat illorum temporum disciplina, hæc Christianorum vita. Sed fuerunt quondam, nunc verò mutarunt tempora & mores; ὦ καλὲ Θεὲ εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας. *Bone Deus in quæ me tempora servasti.*

Nimirum hoc die
Vno plus vixi, mihi quàm vivendum fuit.

Resipiscite tandem, ô boni, & artes illorum recognoscite, qui, ut in re Tragica verbis utar Comici,

ὥς οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι
Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ λαμβάνουσιν οὐδέν.

Ἐὰν

Ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον
κυκῶσιν,
Αἱροῦσι. καὶ αὐτοὶ λαμβάνουσιν, ἢν τὴν
πόλιν ταράττωσι.

Quemadmodum qui venantur anguillas nihil capiunt cum lacus est tranquillus, sed multas auferunt si cœnum sursum deorsum miscuerint: ita & ipsi potiuntur urbe quam turbaverint.

Vos quoque hîc appello, Imperii Gallici Antistites, caritate subvenite. Non hîc ferro vestro opus est, sed gladio Dominico, nę regnum factionibus scindatur, & religio ipsa Christiana in periculum vocetur, si res, quod absit, in nervum erumpat. Eò vos vocant venerandæ antiquitatis exempla; eâque maximi Principes censentur laude. Tu, REGVM. OPTIME. MAXIME. LVDOVICE., in partem illius veni, & multos annos feliciter impera: id nos votis Deum poscimus. *Domine Iesu Christe, qui pax es nostra, qui fecisti utraque unum,*

unum, fac nos unum, ut verè tandem cantemus: Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Introduc concordiam, pelle discordiam: introduc teipsum in titulos tuos. tu mane: non alter possideat, & de tuis velis fallat. AMEN.


Τῷ ἐπὶ πᾶσι δόξα καὶ χάρις.



DE SACRORVM DISSIDIORVM CAVSIS, EFFECTIS, ET REMEDIIS.




AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium,
CIↃ IↃC XLIX,



DE SACRORVM

Dissidiorum causis, effectis, & remediis.



Pirat universus jam propè Christianus orbis armorum, immanissimè per Europam tot annis grassantium, compositionem. Pacem quoque Ecclesiasticam, sine qua quies politica nunquam tuta, nunquam certè secura hactenus fuit, multi & viri eruditi, & magni Principes loquuntur. Ego solenne illud, quod bene vertat, tam salutaribus cogitatis apprecatus, & porro cuilibet aliquid ad novum hoc Pacis templum conferendum existimans, quæ de sacrorum dissidiorum causis, pio quodam mentis impetu nuper commentatus sum, annotare constitui. Quibus porrò effecta earundem discordiarum; & denique remedia, quæ ex omnibus saluberrima fore viderentur, subtexere libuit, stylo, quantum

tempora ferunt, libero, animo certè, Deum & conscientiam testor, factionibus minimè omnium obnoxio.

Multiplices Sacrorum Dissidiorum causæ.

C*Ausæ sacrorum dissidiorum non paucæ numero sunt, earumque aliæ per se, aliæ fortuitò, aliæ ex propinquo, aliæ eminus, & per gradus aliarum, ad infelicem excludendum fœtum suum concurrunt. Mihi nec omnes in mentem venisse scio, nec quæ venêre, scribi omnes dignæ visæ sunt. Præcipuas commemorabo, idque strictim & summa sequens fastigia rerum; Aliis addere his suas, hasque ipsas, si lubet, excolere & diducere licebit; imo ut id faciant, autor sum, certus bonas horas nusquam meliùs quàm in tali argumento collocari posse.*

1. *Causa primaria est Sathan ipse, antiquus ille homicida, ille auctor discordiarum, ille acerrimus pacis hostis; qui Ecclesiam diu per Nerones, Diocletianos,*

& similia sua organa carceribus, exiliis, gladiis, equuleis persecutus, cum tempestates hæ desæviissent, intestinis mox discordiis eandem conturbare ac pervertere cœpit. Bellum ille perpetuum gerit cum Christi discipulis, in quo nihil ei optabilius contingere potest quàm hostium dissidia, & mutuæ ejusmodi collisiones; permittente hunc ei ludum Deo, tum quod voluntatis humanæ libertati vim facere non vult; tum quod vitia in Christianismo luxuriantia ulciscitur; tum denique quod bonum aliquod ex hoc malo & potest, & solet educere, quale inter alia est, quod divisæ ita inter se Christianorum partes, mutuâ æmulatione aut metu intra qualiscunque modestiæ ac probitatis, saltem externæ, terminos plerumque contineantur.

2. *Ingenium hominum non renatorum ad discordias pronum.*

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Planè ut vultibus, ita sententiis plerumque discrepamus mortales, etiam quos una

tegit domus, una alit mensa, idem denique venter tulit. Vnde ille in apologo non abs re, cum in colle stans calvarias aliquam multas sacco effudisset, & earum quæque diversâ ferretur viâ, quot capita, inquit, tot sententiæ. Sed hæc ingenii humani scabies in religione, ubi minimè debebat, imprimis se exerit, huicque pacis matri, alumnæ, custodi petulanter & de industria insultat.

3. *Tantò autem pronius in rixas ruit ingenium hominis, cum vitiis imbutum est, imprimis Avaritiâ, radice ut omnium malorum, sic & discordiæ. Nam cum præcipua litium materia sit Meum, Tuum, materiæ huic ut plurimùm ignem injicit Avaritia, dum ut quod suum est amplissimum faciat, id quod tuum est quærit quovis modo suum facere. sed cum ubique fidem, probitatem, Deos negligere (verba Sallustii sunt) omnia venalia habere, doceat; tum certè in Religione Christiana maxima dedit mala; dum divitiis inhians qualicunque prætextu, sæpè & sacro, nova auri feracia procudit arripitve inventa;*

mox

mox & concitato opibus suis, dum parantur, odio, paratis invidiâ, aliis imperia excutiendi, aliis invadendi cupidinem, plerumque certè novationum, tumultuum, seditionumque occasiones præbet.

4. *Iuncta huic altera pestis est Ambitio, non illa tantùm publica primatûs, dominationis, & splendoris mundani studio, apertoque interdum sacrorum neglectu oculos seculi nimis feriens; sed & privata, quæ in cedendi dedignatione cernitur, vincere cum veritatis etiam dispendio quærens, & quandoque vel per lites, discordias & mala publica clarescere cupida.*

5. *Comitatur istam aut sequitur plerumque Curiositas, illa simplicitatem antiquam, & antiquitatem simplicem fastidiens; cui segnitia videtur repertis acquiescere. Nova concupiscit, nec contenta paucis & facilibus; sed ut stomachi luxuriantes solent, multa, varia & peregrina appetit. Id verò malum tantò & altius crevit, & ramos sparsit latius, postquam Spiritus Philosophicus, ille à sobria mode-*

ſtaque veri inquirendi ratione, quam minimè vitupero, ſejunctus; ille ignota penetrare citra revelationem, aliiſque porrò obtrudere ardens; ille ſupera movens & infera; non in Scholas tantùm, ſed & Eccleſiam ſeſe infudit. Quis neſcit quàm diſcordes ſemper inter ſe Philoſophi egerint? In quam diverſas unius Socratis ſchola & ſententias & ſectas diſceſſerit? Quæ denique opinionum portenta inſipiens illa ſapientia foverit? Adeò ut non abſurdè aliquis ex grege ipſorum dixerit, nihil tam abſurdum eſſe quod non aliquis Philoſophorum aſſeruerit. Sed ut alta de Deo extra revelationem diſſerendi audaciam Platoniſmus, ita diſputandi pruriginem & ſubtilitatem Peripateticiſmus maximè docet, ille præſertim in vitium detortus, qualis nunc inter Chriſtianos viget, & litigandi impetiginem ingeniis affricuit, perexiguo aut nullo diſcentium fructu, luculento certè Eccleſiæ damno. Publici enim Doctores ac Rhetores in ſcholis ab ungue tenero, contortis argumentorum ſtringendis nodis, variiſque ſimul

pere-

peregrinarum doctrinarum acuminibus ac spinis insueti, eadem illa sapientiæ humanæ inania, non in libris tantùm, quales plurimi identidem hoc genus argutiis, sæpe & convitiis calumniisque pleni procuduntur: sed in conventibus etiam Ecclesiasticis, qui magnam partem ex hominibus plebejis, rudibus, subtilitatum magis avidis quàm capacibus constant, ostentare solent: subtilia magis quàm utilia, magis abstrusa, quàm ædificationi servientia, & quod pessimum, cum acerbissima plerumque dissentientium insectatione, nec non allegatione alienarum sententiarum iniquissimâ, docentes. Ista verò tam doctrinarum, quàm convitiorum acumina, eloquentiæ seu favis oblita, seu fulminibus armata, ita plerumque demulcent aut percellunt animos lectorum auditorumve, ut & pro verissimis amplexentur talia, quamquam vix aut certè perperam intellecta, eademque ab omnibus credi velint; aliter verò sentientes & oderint acriter, & si liceat, persequantur. Præcipuè autem imperitum vulgus istis rapitur,

ſemper alioquin amoris aut odii nimium; cum ſacris porrò opinionibus intumuit, & à Religionis Ducibus ſeu Notis quibuſdam inflatur, paulo momento non in tumultus tantùm, ſed in cædes & bella, niſi remora adſit, impellitur. Per verò mirum eſt (quod non poſſum hîc non tangere) malè adeo conſtare ſibi ſubtilis iſtius ſapientiæ conſultorum quoſdam, ut in ſubtilitatibus ejuſmodi fingendis docendiſque plurimum indulgeant Rationi humanæ, etiam ſupra revelationem divinam; tandem tamen philoſophando eò ſe patiantur abripi, ut non tantùm dogmata revelatione nullâ ſuffulta, ſed & rationi planè contraria, docere non dubitent; breviter, cùm ratione incipiant philoſophari, ſine ratione deſinant. Quid verò revelationem prætergreſſis, rationis autem judicium modò audientibus nimium, modò nimium deprimentibus, certum ita ac ſolidum eſſe poſſit, quin mille vacillationibus; controverſiis & diſſidiis locus ſit?

6. *Sed hoc inſuper dolendum eſt maximè, quod cùm diſputatores illi tot ſubtilitati-*

tatibus ultra revelationem inductis, mentisque porro humanæ captui repugnantibus Theologiam implicuerint, adeo tamen in iis superbè audacterque definiant, & definitiones suas aliis obtrudant, ut recipere abnuentes odio protenus, contumeliis, injuriisque dignos deputent. Omnia scilicet illis liquida videntur, etiam obscurissima; nusquam ampliant, nihil Deo, tempori, disquisitioni ulteriori remittunt. Et definitiones illæ quæstionum subtilium obscurarumque (nam illas bonæ frugis, & mores ordinemque bonum spectantes, utut humanas, suo tamen honore dignas reputo) cùm humanæ sint, ferè tamen pari cum divinis apertè liquidoque revelatis pretio æstimantur. Cùm deinde reperitur aliquis (ut fermè ad obscura excutienda rapitur mortalium curiositas) qui oppugnare humana ista ausit, & non ineptè oppugnare videatur, paratæ factiones, parata dissidiis, odiis, schismati materies est.

7. *Verùm quando & de iis quæ revelata omnes fatentur, controversiæ sunt, ut sanè sunt non paucæ, eæ ut plurimùm ex diver-*

diversa Scripturæ locorum, in quibus revelatio continetur, interpretatione nascuntur; cum quòd multa in literis loca ita sunt difficilia & abstrusa, ut nec à partium earumdem Theologis eodem pacto intelligantur aut explicentur; tum & quòd circa hæc obscura præter necessitatem (cum in istis cardo salutis non vertatur) sua ac aliorum ingenia potissimè vexare amant sacrorum consulti; denique quod paucissimi subsidia ad probè explicandas Scripturas necessaria habent, nec modo utuntur legitimo; quippe plerumque interpretationes suas non reliquæ & alibi apertiùs loquentis Scripturæ harmoniæ, non regulæ fidei vitæque semper, ubique, & ab omnibus receptæ, sed suæ sectæ novis, privatis, ac peculiaribus institutis, modo quocunque, plerumque etiam detorquendo accommodant.

8. *Cæterùm his gradibus tandem effectum est (in quo ipsissimum sacræ Eridos cubile positum puto) ut dogmata religionis & in immensum multiplicata sint, & plurima obscuritatibus maximis implicita,*

adeo-

adeoque longiſſimè à ſimplicitatis primigeniæ & Apoſtolicæ unico, aperto, & ſeculis omnibus trito tramite, in diverticula multifaria & latebroſa receſſum ſit. Vt enim in viarum divortiis fieri ſolet, ut alius hanc alius illam ingrediatur, ita in Religione quò plura, quò obſcuriora vigent dogmata, hoc pronior in diſſenſiones prolapſus.

9. *Secutum inde alterum propè gravius malum, quod omnia illa inter Chriſtianos adeo multiplicata dogmata, à Chriſtianorum plurimis, pro planè neceſſariis ad ſalutem habeantur. Certè ſaluberrimum illud inter dogmata ad ſalutem neceſſaria & minus neceſſaria diſcrimen, prope ignoratur hodie, aut ſaltem in oblivionem venit inter Chriſtianos.*

10. *Cui affine eſt, quod rituum externorum ſeu ceremoniarum ad ſalutis cardinem, aut partem aliquam cultus divini inſignem non pertinentium, libertatem obliteratam videmus. Quæ quidem ut pro diverſitate locorum, temporum, populorum variant, ita variare citra & ſalutis & concordiæ detrimentum poterant inter pa-*

cis

cis amantes. Nunc tamen inde frequentissima dissidiorum incendia erumpunt.

11. *At cùm necessaria ad salutem dogmata ab initio Christianismi in Ecclesia Christi obtinuisse, & adhuc inter additamenta etiam, aut detruncationes, quas partes sibi objiciunt, obtinere necesse sit: par erat ea maximè inquiri ac teneri quæ ad eum modum uno, & ex Apostolicis temporibus continuato tenore inter Christianos credita sunt; quæque talia sunt, non tantùm pro liquidò veris certisque, sed & pro necessariis ad salutem haberi. Id quia neglectum est hactenus, contra verò secta qualibet id quod maximè privatum, adeoque à vero, antiquo, & perpetuo Catholicismo alienissimum habet, id & credit firmissimè & ab aliis credi vult, & aliter credentes odit persequiturque quâ potest; hoc quoque inter primarias discordiarum causas haberi meretur.*

12. *Inter salutaria autem Christianæ Religionis dogmata cùm omnium longè apertissima & clarissima sint, quæ Pietatis & Charitatis præcepta continent, de his jam*

jam pridem Christianorum plurimis minima cura est. Nec hoc satis; Ea urgentur maximè quæ studium Pietatis, Charitatisque enervant; unde ingens jam humanis in animis Charitatis Pietatisque consecutum frigus est. Charitate autem Pietateque exolescente, quî concordia constet inter mortales? Cùm mater & anima concordiæ Charitas sit, hæcque una efficere possit, ut etiam qui opinionibus distant, affectu inter se consentiant. Iam Pietas cùm alias ferè omnes virtutes, tum imprimis Modestiam, animique submissionem complectitur; virtutes ad Concordiam tutandam præcipuè facientes. Illæ enim nec opinione scientiæ, nec scientiâ veri inflantur, & si res ferat, cedere potius amant alteri, seque quantum per divina jura licet, submittere, denique & de sententiarum, quantùm fieri potest, rigore remittere, quàm descendere in rixas, aut vincula rumpere communionis.

13. *Non exiguum quoque discordiis & vexationibus mutuis ostium aperuit pravus vocabuli Fidei intellectus. Eò enim deven-*

deventum est, ut plerique Christianorum non nisi illi Fidem tribuant, qui certas unique sectæ proprias dogmatum formulas, definitiones, confessiones particulari hujus aut illius ingenio conceptas, quanquam fortè Scripturæ minus, aut certè non liquidò conformes, nec perpetuæ Christianismi universitati consonas, approbet recipiatque pro certissimis. Iam cùm Fidei, hoc est credentibus Scriptura salutem æternam ubique promittat, incredulis contra minetur condemnationem; fit inde ut quisquis receptis ipsorum Fidei (ut appellant) Confessionibus non toto animo subscripserit, illicò ut infidelis, ut regni divini exsors, ut servus & victima Dæmonum de cœtu proscribatur, & porrò odiis, conviciis, omnis generis injuriis, aliquando & morte multetur.

14. *Sed ipsi etiam Principes aliquando dissensum in sacris vel invehunt vel fovent, ad principatum sibi constituendum, conservandum, augendumve. Sic olim Ieroboam cum excitata in filium Salomonis seditione novum sibi strueret imperium,*

nova

nova illicò ſacra, nova idola invexit. At fas eſt credere pleroſque equidem hodie Principum meliores eſſe, quàm ut fœdum illum Apoſtatam imitari velint. Nihilominus aliis modis (quod pace illorum dixerim) culpæ ſe reddunt affines, dum ſcilicet hominibus turbulentis, Aquilonum inſtar, Chriſti cymbam jactantibus, & diſſidentium debiliores quâ poſſunt, non diſſidiorum cauſas, tollentibus, cùm ponere obicem poſſent (nam de talibus loquor, quorum minus limitata poteſtas eſt) nimiùm indulgent: non procurantes pro virili, ut quibus animæ hominum curæ ſunt, in publico non niſi antiquam, catholicam, perpetuam & neceſſariam veritatem, juxtaque cum hac vitæ ex præſcripto Domini noſtri agendæ officia, doctrinâ & exemplo commendent, inſtillent, inculcentque; ut quæ dubia, perplexa, paucíſque comprehenſibilia ſunt, tanquam ad ſalutem minus neceſſaria arceantur quantùm fieri poteſt à publico, aut meriſſimis Scripturæ verbis expreſſa proponantur; privatim verò inter capaces, quàm ſobriiſſimâ placidiſſimâque diſquiſitione

tione examinentur. Praiverunt hac in re Principibus aliis exemplo laudatissimo Serenissimi Hollandiæ West-Frisiæque Ordines Decreto suo anni 1614. *Si tantæ molis negotium non eum habuit exitum, qualem pii Ordines & multi boni spe præceperant, id verò temporum illorum iniquitati, & animis nondum ad tam arduam rem præparatis tribuendum existimo.*

15. *Per accidens denique discordias in Statu Politico & Ecclesiastico movet promovetque publica Christianorum regnorum tranquillitas, & ab externis motibus quies; inimica adeo otii ac felicitatis suæ est natura humana, ut nisi habeat alibi quod mordeat, figat in sua ipsius viscera dentes. Id visum evidenter tempore Constantini Imperatoris. Ante hunc, cum Orbis imperium Christianorum hostes & persecutores Pagani tenerent, Christiani & boni & concordes agebant. Illo gubernaculis admoto, & Christi sacris initiato, illicò serpere sacræ lites cæperunt, quæ tandem in publica dissidia & bella exarsêre. Sic nostro ævo Belgium, simul ut pactis cum*

Hiſpaniarum Rege induciis arma ſuſpenderat, ortâ inter Theologos diſſenſione, immanibus diſſidiis tumultibuſque fluctuavit. Faxit Deus, ut initâ de novo cum eodem Rege pace, nunc non fluctuet.

Pernicioſi Sacrorum Diſſidiorum effectus.

1. C*ontentionibus de Religione, ut quibuſdam fortè in dogmatibus veritas evaſit ſplendidior; ita in aliis obſcurata magis quàm illuſtrata eſt. Dum nempe diſſidentium inter ſe partium validiſſimæ, deditâ quaſi operâ, quo longius à ſe diſtarent, in extrema contraria abière; ſicque adeo proceſſerunt odia, ut dum nullâ parte adverſario ſimiles fieri cupiunt, non mala tantùm ejus, ſed & bona aſpernentur. Vna & ſimplex erat, ut olim Chriſti, ſic veritatis tunica: raptata deinde diſcordibus Chriſtianorum ſtudiis, tandemque in partes varias diſciſſa eſt.*

Pauciſſimi in integrum ſtudent eam reſtituere, partibus in unum comportatis.

Plerique contra partem suam tot clavis, tot laciniis, tot plicis obtegunt aut deformant, ut quod de vero habent omnes (habet autem qualibet multum, nedum satis veri necessarii) alter in altero aut nequeat, aut nolit agnoscere: accedente inprimis, ut solet factionibus, cæco odio, pertinaciâ, & cedendi dedignatione, hostibus ut veritatis sic concordiæ irreconciliabilibus.

2. *Diversæ in minus capitalibus Religionis dogmatibus sententiæ inter bonos modestosque, sacræ amicitiæ fœdus non solvunt, adeoque tolerari poterant, dum quietæ, turbarum fugientes, & sic sine noxa sunt Reipublicæ. Interim verò amicis placidisque hominum capacium collationibus ventilari, ac si fieri possit componi debebant. At nunc deterrimo Christianorum more fatoque, in diffidentiam illicò mutuam, nullâ etiam jurisjurandi religione securam, in odia internecina, in convitia, injuriasque, in seditiones denique & bella publica eaque intestina plerumque, bellorum omnium maximè abominanda, degenerant. De quo dubitare non sinunt cum*

histo-

riæ veteres & novæ, tum hodie ipsa totius Europæ regna, quæ ut bellis immanissimis ardent aut arserunt omnia, ita primam mali flammam ex Sacris dissidiis concepêre. Omnium ferè conditio miserrima & facies cadaverosa est; præcipua eorum in cineribus suis sepulta & vix adhuc fumantia, quale monstrum sit, quod Bellum dicitur, demonstrant. Monstrum profecto horrendum, & quod Divini nominis, & sacrorum omnium profanationes, quod scortationes & adulteria, depeculationes bonorum, homicidia innocentum pro virtute habita, luxûs famisque extrema, vastitatem & excidia urbium provinciarumque, omnes denique divini & humani juris violationem complectitur.

3. *Bellis porro hisce, nudum Christianæ Reipublicæ latus hostibus externis objicitur, Turcis præcipuè, illius imperio jamdudum inhiantibus. Notum est quàm contra vim alienam invalida sint regna, quæ domi atteruntur, quæ in commune non consulant; quàm plerumque qui singuli pugnant, universi vincantur. Omne regnum,*

inquit, pacis magister Filius Dei, omnis urbs in se divisa devastabitur.

4. *Inter hæc sententiarum divortia, mutuaque omnium odia, anguntur maximè animis, qui optimi sunt Christianorum; qui imbecilles, ad desperationem ferè adiguntur, & sicubi eminus qualemcunque unitatis vel stricturam vident, ad eam per errores etiam ac præcipitia tendunt; qui discinctiores ingenio & vitâ sunt, malè de Religione sentire incipiunt, tandemque in Atheismum prolabuntur, extremum quod in hominem cadere potest, in hac vita, maximeque omnium horrendum & exitiale malum.*

5. *Illis qui à Religione Christiana alieni sunt, per has discordias obex ponitur, ne de ea discenda recipiendave vel cogitationem suscipiant. Rarissimi certè persuaderi sibi patiuntur, ad eos uti accedant, quos in tot factiones vident divisos; quorum tamen meliorem partem adjungendam denique esse ad populi Christiani societatem sacra docent oracula. Id quod inter alia spem bonis omnibus præbet, si consilia paci-*

fica porro procedent, brevi tandem hos, quorum conversionem discordes moramur, composito inter nos fœdere eundem nobiscum Christum adoraturos.

Præcipua Sacrorum Dissidiorum remedia.

1. *QVia constat concordiâ Deum, dissidiis Sathanam (cui & nomen indè) delectari, Dei esse omnes instrumenta malimus quàm Sathanæ, quem novimus summum humani generis Adversarium esse: adeoque lites non secus ac furias infernales toto animo aversati, pacem ut utilissimum homini, Deo verò gratissimum bonum spiremus, modisque omnibus promoveamus; Sathanæ, antiqui homicidæ, turbulentis molitionibus obnixè resistentes, & ut Deus ipse nostri misertus, potentiæ suæ catenas illi injiciat, publicis ardentissimè precibus ac gemitibus assiduis orantes.*

2. *Cum nota sit nobis ingenii humani in dissensiones propensio, coërcenda ea est fræno Rationis, & Spiritus Christi mode-*

ramine regenda. Reprimenda inprimis Ambitio, illa dominatu externoque ſplendore nimium & ſibi placens & aliis diſplicens, & ut quævis audentius definire atque imperare ſolita, ita in æquum deſcendere, & vel bona docentes audire indignans. Cohibenda in religione lucrum quærens Avaritia, quam per ſe, idololatriam veriſſimè vocat, & ut idololatriam, criminum omnium caput, quàm maximè fugi jubet divinus Apoſtolus. Refrænanda Curioſitas, quam ſacram jure luxuriem dixeris; nauſeantem ſcilicet ad pauca & antiquiſſima Chriſti & Apoſtolorum ejus ſcita, tædioque iſtorum novis, variis, iiſque peregrinis dogmatum velut cupediis inhiantem.

3. *Philoſophicarum ſubtilitatum ſpinæ à præſepi Chriſti arceantur, ut ignoratæ Apoſtolis & fugi etiam juſſæ. Imprimis verò abſit à Chriſtianis ſpiritus ille altercator, ille gaudens captionum laqueis, & litigioſarum quæſtionum veluti colubris ſeſe unicè nutriens. Quod ſi è ſcholis eliminari nequeat, quod & ipſum tamen boni quidam*

dam viri, quanquam forſan fruſtra, optant, ſaltem intra ſcholaſticos cancellos concluſus, à Theologiæ ſpatiis & à ſacris præcipuè ambonibus exeſſe jubeatur. Ne ſeminentur obſecro in vulgus infauſtæ iſtæ ſentes, quibus nobile divini verbi ſemen facilè enecatur, & miſera Chriſti membra non niſi in mutuas convulnerationes armantur. Sed cumprimis quoque conticeſcat maledica illa in conciones & fratres (quanquam forſan alicubi errantes) publicè invehendi licentia, veriſſimum odiorum, ſeditionum, bellorumque inter Chriſtianos claſſicum.

4. *Rationi humanæ, maximè privatæ, ne permittatur inter Chriſtianos, Scripturam pro divina recipientes, ullum dogma in Scripturis non inventum, multò minus his contrarium, pro abſolutè ad ſalutem neceſſariò venditare. Revelata verò in Scripturis, quantumvis rationis ſuperent captum, religioſâ nihilominus modeſtiâ acceptanda ſunt. Quæ non revelata, rationi verò contraria ſunt, pro ſuſpectis; quæ rationi ſimul & revelationi apertè contraria, meritiſſimo jure pro falſis habenda.*

 5. *Sed*

5. Sed quia variantes Scripturæ interpretationes discordiis & originem & campum semper maximum præbuerunt, diligentissimâ circa illas circumspectione opus est. Ac primò statuendum existimo, non universæ Scripturæ interpretationes, atque inprimis locorum difficilium, quibus perplexiora Theoreticæ Theologiæ dogmata contineri creduntur, absolutè necessarias esse Ecclesiæ Christi; eo quod quæ ad salutem cujusvis sufficiunt, clarè satis in Verbo Dei expressa habeantur, adeo ut & intellecta semper ac ab omnibus Christianis recepta sint, & nunc quoque à quovis non factioso. Sed Christi spiritui, & Catholico Chrstianismi totius, præcipuè antiquioris, consensui sese submittente, satis intelligi vel sine operosa interpretatione possint. Quod si quis contrà, totius Scripturæ interpretationem ad salutem necessariam esse contendat, quæram ego, quotusquisque ita salvus, aut de salute saltem sua certus futurus sit? Nonne maximam semper Ecclesiæ partem fecerunt ac faciunt homines simplices, & citra singularem Spiritus sancti

cti

cti illuminationem, explicationum operosarum incapaces? Nonne inter eruditos etiam pauci sunt, qui præsidia ad interpretationem Scripturæ necessaria habeant? ut sunt præter divina adjumenta, Hebrææ, Græcæ, Syriacæ, Targumisticæ, Hellenisticæ, Latinæ linguæ, item Phrasium his omnibus usitatarum, rituum simul Iudaicorum, & Provinciarum exacta cognitio, item exemplaria sanctorum librorum quàm optima & correctissima, longa in lectione & scrutatione eorumdem librorum exercitatio, vita ab aliis curis semota, cum viris eruditis collatio, & alia id genus plurima, sine quibus locorum difficilium interpretationem haud rectè procedere experti nôrunt. Quæ rarissimo cuique contingunt omnia, & ii quibus præcipuè creduntur contigisse, annon errorum & postulantur & convincuntur ab aliis? An vel duos in tanto eorum numero nominare possis, qui in omnibus inter se consentiant? Nonne maximus in multis dissensus apparet? Nonne loca reperies quæ aliter Augustinus, aliter Hieronymus, aliter Theophylactus,

lactus, aliter Erasmus, aliter Maldonatus, aliter Lorinus, aliter Beza, aliter Camero, aliter Grotius interpretantur? Nonne dubius hærebis, cui ex istis fidem adhibere debeas? Et si sine interpretatione locorum ejusmodi, salus constare non posse credatur, quî certus esse de salute tua poteris? Quî certi erunt alii de sua? Rectè itaque concludere videor, locorum Scripturæ omnium, inprimis abstrusorum, interpretationes non absolutè esse necessarias; interim utiles tamen esse, si rectè instituantur, non est negandum: si scilicet homines cunctis ad tam arduum negotium necessariis subsidiis instructi, iidemque pii & modesti, invocato diligenter divino Numine, obscura ex facilibus & apertis, ad Fidei ab omnibus & semper receptæ analogiam amussimque, sine ira & studio interpretentur; & hæ ipsæ tamen interpretationes non pro certissimis aut divinis illicò jubeantur recipi; sed ut humanæ & ab erroris periculo non planè immunes, Ecclesiæ judicio & libero cujusque examini subjiciantur.

6. Caput omnium quæ in hoc argumento

to dari possunt, consiliorum est, ut missâ tot dogmatum disputabilium & minus necessariorum multitudine, ad pauca, certa, & necessaria redeatur; ad simplicitatem nempe primam Apostolicam, postea perpetuâ traditione in Ecclesia derivatam. Ista verò in Christi & Apostolorum ejus verbo, hujusque imprimis dictis liquidis clarisque, quærenda est. Et ex his sanè deprompta sunt necessaria illa Fidei, illa liquida, certa, catholica dogmata, quæ totus ubique Christianismus perpetuò, hoc est ab ipsis Apostolorum temporibus ad hæc usque nostra, continuato publico consensu credidit creditque. Ac talia sunt quæ in Symbolo continentur Apostolico, receptâ Christianorum tesserâ, quæ antiquo & optimo more à quovis Christi sacris initiando requiritur. Atqui de hujus etiam ipsius Symboli sensu controversiæ sunt, inquies? Sunt fateor, sed eæ ferè omnes non nisi à curiosis nimium Scholastico-Theologis & Theologo-Philosophis motæ fotæque; quibus scilicet sacram hanc artem sine modestiæ fræno facientibus (de probis nempe Theologis

hîc

hîc non loquor) unum ubique ſtudium eſt in quæſtiones ex quæſtionibus, conſequentias ex conſequentiis, & denique lites ex litibus ſerere abſque modo & fine. Vnde ne uſquam litigandi materia deſit, in explicationem Symboli univerſam propè Theologiam Theoreticam, quæ hodie ingens & multorum voluminum eſt, ſicque cum eâ immenſa controverſiarum agmina inferunt, labore non dicam noxio, ſed minimè neceſſario; cùm ſine iſtis quæſtionum nodis boni Chriſtiani Symbolum ſufficienter per Dei gratiam intelligere poſſint. Motæ verò quæſtiones illæ operoſæ, rixarum quàm bonæ frugis pleniores, ingenio verò humano aliquando vix èxplicabiles, uti defenſores ſuos pariterque oppugnatores plerumque inveniunt, unde perpetua contendendi materies; ita inter defendentium oppugnantiumve partes nec ſemel adhuc mutuâ ſilentii conventione transactum legimus. Semper in hanc vel illam partem deciſum eſt, ac plerumque cum partis alterius damnatione, exiliis, carceribus, aliisque gravibus malis comitata. At licet, imò neceſ-

necesse est, inquies, ut quisque Symbolum, & præter Symbolum alia quædam, ut de justificatione, de bonis operibus, de peccato, &c. dogmata intelligat, intelligenti porrò licet mentem circa illa suam clarius explicare, atque edisserere uberius. Planissimè fateor licere, hac tamen lege, quam subinde repeto, ne in subtilia quæstionum abeat explicatio, atque inprimis ne unquam à primorum, & hinc continuato reliquorum Christianismi seculorum consensu discedat. His limitibus nostri de Fide sensus maximâ nostrâ securitate & incredibili Orbis Christiani bono includantur. His & formulæ, articuli ut vocant, confessionesque Fidei omnes circumscribantur: quæ eò quod quælibet Sectarum hactenus propriam sibi & à Catholicismo dissonam finxit, variæ & discordes, nec ferè aliud quàm pugnantium partium signa & quasi vexilla Martia fuêre. Cæterùm Symbolo Apostolico, aut alii ejusmodi credendorum formulæ, ad primi Christianismi & hinc perpetuò continuati Catholicismi amussim quàm rigidissimè & quantùm fieri potest de communi

ni omnium partium consensu exactæ, si vitæ præcepta ex Christi & Apostolorum monumentis deprompta addantur, habebit Christianus quilibet, ubi securè possit consistere. Circa præcepta verò minus dissidiorum fore existimo, quòd sectæ aliæ quidem aliis magis, omnes tamen, pietatem commendent; nulla certè sit quæ inutilem esse aut negligendam apertè ausit docere. Et ut tantò magis hìc controvertendi ansa præcludatur, consultissimum fuerit in sacrorum Novi Fœderis librorum lectione omnia quæcunque ibi non uni alicui, sed omnibus vel categoricè imperantur, vel ut facienda affirmantur, sive id simpliciter, sive cum addita præmii pœnæve conditione fiat, pro necessariis vitæ officiis haberi, eaque adeo quemlibet Christianum, quantùm spiritu & divinis adjumentis suffultus potest, exequi. Quæcunque verò ultra catholicum omnium, maximè primorum seculorum, consensum recepta, & ob perplexitatem discordibus Christianorum studiis agitata, seu de Fide, seu de Operibus dogmata habentur, pro minus ad salu-

tem necessariis habenda, adeoque in publico aut reticenda, aut nonnisi puris putis solius Scripturæ verbis citra additionem detractionemve proponenda; privatim piè, modesteque, salvâ dissentiendi libertate, salvâ inter dissentientes caritate, mutuâque tolerantiâ examinanda, denique si concordia aliter constare nequeat, planè silentio transmittenda sunt. Atque ut quod suademus hîc, tantò facilius quisque sibi persuaderi patiatur, perpendat velim illa Sancti Apostoli ad Rom. XII, 3. *verba: Pro gratia, inquit, quæ mihi data est dico cuivis versanti inter vos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & sicut unicuique Deus divisit mensuram fidei. Item illa ad Corinthiorum Ecclesiam,* 1 *Epist.* IV. 6. *In nobis, inquit, discatis non sapere supra id quod scriptum est, ut ne alius pro alio inflemini adversus alium. Denique insignium Ecclesiæ Doctorum monita audiat. In simplicitate, inquit Hilarius lib.*x. *de Trinitate, fides est, in fide justitia est, in confessione pietas est. Non per difficiles nos Deus ad*

beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas, Iesum suscitatum à mortuis, Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri. Sic Augustinus de Peccato Originali, cap. XXIII. *Quis non sentiat, inquit, in his atque hujusmodi variis & innumerabilibus quæstionibus, sive ad obscurissima opera Dei, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti & definire difficile est; & multa ignorari salvâ Christianâ fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine?* Et in Enchiridio cap. LIX. *Quid opus est ut hæc atque hujusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?* Et in libro I. de Trinitate cap. III. *Nec pigebit me, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit, sicubi erro, discere. proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum,*

re-

revocet me: ita ingrediamur simul Caritatis viam, tendentes ad eum de quo dictum est, Quærite faciem ejus semper. Item, Qui hæc legens dicit, intelligo quidem quid dictum sit, sed non verè dictum est; asserat si placet sententiam suam, & redarguat meam si possit. Quod si cum caritate & veritate fecerit, mihique etiam cognoscendum facere curaverit, uberrimum fructum hujus laboris mei cepero.

7. *Sed quæres de ritibus quid judicem, de quibus non minor hactenus quàm de fidei capitibus dissensio est. Fateor vulgarem maximè hunc esse fluentium in gregem Christianum rixarum canalem; eo quod vulgus interioris Christianismi rude & incuriosum in externis hæret, inde religionem & Sacræ communionis jura metitur. Fateor insuper nec sperandam ferè esse omnium ubique rituum conformitatem in Christianismo, sed nec ita obstinatè quoque expetendam reor, ac si absque ea Christianismus stare nequeat. Instruendus potius populus est, ut putamina ista à vero salvificæ fidei ac pietatis nucleo discernere*

discat. Quod si tamen ille, ut fit, ritûs alicujus veteris vel novi ita pertinax sit, ut eum sine turba non videatur remissurus; Sapientiorum est dare potius aliquid imbecillitati rudiorum, quàm abruptâ severitate, cui jam ferè pares non sumus, scindere amplius populos nimio plus discordes.

8. *Verum enim verò feliciter procedere hoc componendorum dissidiorum negotium non potest, nisi caritatis pietatisque studium in animis hominum refloruerit. Ita enim ferè comparatum est, ut quo quisque flagitiosior, hoc pronior in turbidum sit: multique mortalium vitæ suæ maculas discordiis publicis operire conantur. Plures autem probitate susque deque habitâ, religionem omnem in religionis quantumvis erroneæ zelo, eoque improbo plerumque, sæpe & crudeli, & injuriis variis despumante ponunt. Caritate igitur verâque Pietate opus est: missisque adeò quæ citra Salutis jacturam ignorari possunt controversiis, ad utramque illam animis humanis instillandam studia omnium la-*

boresque convertantur. Cumprimis avidè se huc applicent, qui negatæ bonorum operum necessitatis ab aliis insimulantur. Agè factam sibi injuriam probitate indies majore ostendant; eamque ad rem præceptæ à Sanctissimis autoribus disciplinæ sacræ frænos ne respuant; sed juxta cum his agè pariter omnes Christiani sibi bonâ fide persuadeant; omnium linguarum, omnium mysteriorum, scientiarumve notitiam, omnem fidem, omnem rerum etiam charissimarum jacturam, sine Caritate, ut Apostolus docet I *Corinth.* XIII. *ne hilum prodesse; persuadeant sibi fidem sine operibus mortuam esse, & circa cadaver digladiari, qui vitæ officia negligentes, dogmata Fidei, eaque non usquequaque certa, tantâ acrimoniâ aliorumque insectatione oppugnant. Cæterum expensis Caritatis viribus, quas ei Apostolus tribuit, inducor ut credam firmissimè, istâ inter Christianos resuscitatâ Concordiam simul redituram. Caritas patiens est, benigna est, ergo neminem Christo adhærescere cupientem diris, exiliis, gla-*

diis persequetur. Non inflatur, non est ambitiosa: ergo superbas in obscuris dubiisque definitiones non amat, nec aliis invitis, aut non capientibus imponit. Non irritatur: ergo nec in dissentientem, doli inprimis mali immunem. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat: ergo ad condemnandos alios, & terra cæloque proscribendos minimè præceps est. Omnia sustinet, ergo pati injurias potius quàm inferre: ergo cedere quàm inutiliter altercari mavult, inprimis de incertis. Addam & reliqua Apostoli verba, cum pariter ad rem plurimum faciant. Caritas, inquit, nusquam excidit, sive prophetiæ abolebuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. & paulò post, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus ero. Pertinet huc quod idem Apostolus ad Romanos XIV. I. *scribit, Debemus autem nos firmiores imbecillitates impotentium sustinere, & non*

no-

nobis placere. Vnusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.


9. Fides salutifera à confessionibus & dogmatibus uni alicui Christianorum factioni propriis diligenter discernenda est. Fides enim illa cui Salus promittitur, non formularum ejusmodi particularium receptionem, sed firmum assensum Scripturæ præbitum, fiduciamque imprimis in Deo & Christo unigenito Dei Filio, summo & veritatis Magistro, & Servatore, & Rege Ecclesiæ suæ positum, atque ortum inde erga divinum Numen amorem & fidele obsequium complectitur. Quare qui particulares aliquas confessiones, ab hominibus extra communem Christianismi universi consensum factas, non planissimè pro divinis recipit, haud illicò pro infideli, multò minus pro indigno qui in Republica aut Cætu Sacro toleretur, habendus est; dummodo liquida illa & catholica, necessariaque dogmata non tollat, & dissensu in aliis obscurioribus suo ad turbandam vel Ecclesiam vel Rempublicam non abutatur.

10. Principum officium est, ista omnia

quæ

quæ hactenus enumeravimus pro autoritate, quam soli Divinæ secundam habent, promovere, atque ut fiant, quantùm in ipsis est, procurare. Præcipuè verò id agant, ut & ipsi & ipsorum exemplo subditi, paucis, catholicis, & in Ecclesia perpetuo receptis fidei capitibus contenti, cæteram omnem curam animique contentionem ad vitam piè, justè & sobriè instituendam convertant. Hominibus inquietis, specie Religionis ad turbas abutentibus, & quemlibet vel minimum in Sacris dissensum infami hæreseos, blasphemiæ, impietatisque titulo traducentibus, & quà possunt crudeliter persequentibus, ne indulgeant, multò minus autoritatem potentiamve suam gratificentur. Sit ipsis accurantibus, piæ simplicitati honos; careant præmiis disputationes rixosæ & inutiles: obscura & non necessaria dogmatum, privatis hominum modestorum disquisitionibus subjici fas sit; hac tamen lege, ut ubique boni & pacis publicæ prima habeatur ratio. Amen.

FINIS.





discat. Quod si tamen ille, ut fit, ritûs alicujus veteris vel novi ita pertinax sit, ut eum sine turba non videatur remissurus; Sapientiorum est dare potius aliquid imbecillitati rudiorum, quàm abruptâ severitate, cui jam ferè pares non sumus, scindere amplius populos nimio plus discordes.

8. *Verum enim verò feliciter procedere hoc componendorum dissidiorum negotium non potest, nisi caritatis pietatisque studium in animis hominum refloruerit. Ita enim ferè comparatum est, ut quo quisque flagitiosior, hoc pronior in turbidum sit: multique mortalium vitæ suæ maculas discordiis publicis operire conantur. Plures autem probitate susque deque habitâ, religionem omnem in religionis quantumvis erroneæ zelo, eoque improbo plerumque, sæpe & crudeli, & injuriis variis despumante ponunt. Caritate igitur verâque Pietate opus est: missisque adeò quæ citra Salutis jacturam ignorari possunt controversiis, ad utramque illam animis humanis instillandam studia omnium labo-*

boresque convertantur. Cumprimis avidè se huc applicent, qui negatæ bonorum operum necessitatis ab aliis insimulantur. Agè factam sibi injuriam probitate indies majore ostendant; eamque ad rem præcepta à Sanctissimis autoribus disciplinæ sacræ frænos ne respuant; sed juxta cum his agè pariter omnes Christiani sibi bonâ fide persuadeant; omnium linguarum, omnium mysteriorum, scientiarumve notitiam, omnem fidem, omnem rerum etiam charissimarum jacturam, sine Caritate, ut Apostolus docet I *Corinth.* XIII. *ne hilum prodesse; persuadeant sibi fidem sine operibus mortuam esse, & circa cadaver digladiari, qui vitæ officia negligentes, dogmata Fidei, eaque non usquequaque certa, tantâ acrimoniâ aliorumque insectatione oppugnant. Cæterum expensis Caritatis viribus, quas ei Apostolus tribuit, inducor ut credam firmissimè, istâ inter Christianos resuscitatâ Concordiam simul redituram. Caritas patiens est, benigna est, ergo neminem Christo adhærescere cupientem diris, exiliis, gla-*

diis perſequetur. Non inflatur, non eſt ambitioſa: ergo ſuperbas in obſcuris dubiiſque definitiones non amat, nec aliis invitis, aut non capientibus imponit. Non irritatur: ergo nec in diſſentientem, doli inprimis mali immunem. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat: ergo ad condemnandos alios, & terra cæloque proſcribendos minimè præceps eſt. Omnia ſuſtinet, ergo pati injurias potius quàm inferre: ergo cedere quàm inutiliter altercari mavult, inprimis de incertis. Addam & reliqua Apoſtoli verba, cum pariter ad rem plurimum faciant. Caritas, inquit, nuſquam excidit, ſive prophetiæ abolebuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. & paulò poſt, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ero. Pertinet huc quod idem Apoſtolus ad Romanos XIV. I. *ſcribit, Debemus autem nos firmiores imbecillitates impotentium ſuſtinere, & non*

nobis placere. Vnusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.

9. *Fides salutifera à confessionibus & dogmatibus uni alicui Christianorum factioni propriis diligenter discernenda est. Fides enim illa cui Salus promittitur, non formularum ejusmodi particularium receptionem, sed firmum assensum Scripturæ præbitum, fiduciamque imprimis in Deo & Christo unigenito Dei Filio, summo & veritatis Magistro, & Servatore, & Rege Ecclesiæ suæ positum, atque ortum inde erga divinum Numen amorem & fidele obsequium complectitur. Quare qui particulares aliquas confessiones, ab hominibus extra communem Christianismi universi consensum factas, non planissimè pro divinis recipit, haud illicò pro infideli, multò minus pro indigno qui in Republica aut Cætu Sacro toleretur, habendus est; dummodo liquida illa & catholica, necessariaque dogmata non tollat, & dissensu in aliis obscurioribus suo ad turbandam vel Ecclesiam vel Rempublicam non abutatur.*

10. *Principum officium est, ista omnia*

quæ hactenus enumeravimus pro autoritate, quam soli Divinæ secundam habent, promovere, atque ut fiant, quantùm in ipsis est, procurare. Præcipuè verò id agant, ut & ipsi & ipsorum exemplo subditi, paucis, catholicis, & in Ecclesia perpetuo receptis fidei capitibus contenti, cæteram omnem curam animique contentionem ad vitam piè, justè & sobriè instituendam convertant. Hominibus inquietis, specie Religionis ad turbas abutentibus, & quemlibet vel minimum in Sacris dissensum infami hæreseos, blasphemiæ, impietatisque titulo traducentibus, & quà possunt crudeliter persequentibus, ne indulgeant, multò minus autoritatem potentiamve suam gratificentur. Sit ipsis accurantibus, piæ simplicitati honos; careant præmiis disputationes rixosæ & inutiles: obscura & non necessaria dogmatum, privatis hominum modestorum disquisitionibus subjici fas sit; hac tamen lege, ut ubique boni & pacis publicæ prima habeatur ratio. Amen.

FINIS.